



HERMANNI
KIRCHNERI,
J. U. D. HIST. ET
Orat. Acad. Marp.

ORATIONUM
PANEGYRICARUM

VOLUMEN II.



MARPURGI,
Apud Paulum Egenolphum.

M. DC. XVII.

HERMANNI

KIRCHNERI

THESE

ORATIONIS

IN

ACADEMIA

VOLVENSII



FRONTIS

INSTITUTIONIS

M. DC. XVII





ILLUSTRIBUS ET GENERO-
sis adolescentibus, DN. CAROLO,
& DN. MAXIMILIANO, germanis
fratribus, Baronibus de Kaunitz in
Austeritz, &c. nunc temporis studio-
rum gratia in Academia Marpurgensi
commorantibus S.



ULTIS, illustres &
generosi juvenes, vo-
luptati atq; jucundi-
tati summa esse solet,
si qui fortè rarissimi uniones &
gemma pretiosa eis saltem per
transennam ostendantur; mihi
verò multò gratiores illa literæ
fuerunt, quas superioris anni
Kalendis Octobribus, nobilissi-
mus & amplissimus vir Geor-
gius Remus, Noricæ reip. Consi-
(:) 2 lia-

DEDICATIO.

liarius, ad me his verbis dedit:
Tibi nunc commēdo, *inquit,*
Illustre & generosum par fra-
trum, antiquissimo genere,
nec nō laudatissima heroicaq;
virtute prædito prognatorū,
Dn. Carolum, & Dn. Maximi-
lianum, Barones à Kaunitz in
Austeritz, &c. Moravos, quos
apud rerum summæ præest il-
lust. & omni encomio major,
Dn. Carolus à Zerotina Pro-
marchio. Veniunt autem ad
vos hæc duo pectora generosa
Historiæ ac politices discendæ
potissimùm causâ. Admittes
verò hos Barones cum ephoro
Dn. Richtero eò promptiùs
pro-

DEDICATIO.

proniusque, quò studiosiores
 tui nominis deprehendes. Ni-
 hil illi degenerant à virtute,
 pietate & natura illustris pa-
 rentis, quem ante 27. annos
οίσιλοι habui apud Reverendum
 & clariss. virum D. Jacobum
 Grynæum Theologum Basi-
 leæ, & c. Hæc ille, qui, quibus ego
unicè duci & oblectari soleo, ve-
ras & genuinas gēmas & sma-
ragdos mihi per suavissimas li-
teras demonstrabat, virtutem,
scilicet, pietatem, & omnem no-
bilissimi animi elegantiam in il-
lustri & verè generosa vestra a-
dolescentia sitam. Ut autem i-
psæ literæ veluti indices, pergratæ

(?) 3 fue-

DEDICATIO.

fuerunt: Ita multò jucundior postea demonstrati ipsius thesauri aspectus, quem etiã omni præconio majorem in vobis comperi. Pietatis enim, diligentia, morumq; vestro genere dignissima convenientia, omnis deniq; heroici studii vitæq; ad virtutis iter concitatissimo gradu conversa testem habetis universam nostram Academiam. Pergite verò, illustre & generosum par fratrum, ad ea fastigia, quo cepistis studio & industria eniti, neq; dubitate, quin olim longè amplissimus ejus rei fructus vobis sit obventurus. Eloquentia autem studiũ in Suetoniani mei
Julii

DEDICATIO.

*Julii explicatione audistis, quã-
to perè nobili juventuti ad reip.
munera aspiranti necessarium
sit: Idem nunc etiam atq; etiam
vobis commẽdatum velim, eaq;
remissas hasce meas panegyricas
orationes, ut ultrò ad facundie
laudem properantibus, mea et-
iam remigia & vela adderem.
Valete, & ceptum studiorum
stadium feliciter decurrite.*

V. Ill. Generos.

studiis paratissimus


HERM. KIRCHNE-
RUS D.





INDEX ORATIONUM II. Voluminis.

- 1 *De luctuosissimo obitu Principis Mauricii Iunioris, Hassiae Landgravii, Sc. II. Augusti, Anno 1612. defuncti. folio 1*
- 2 *De fatalibus Academiarum dissipationibus & ruinis. folio 24.*
- 3 *De illustrissima familia Ducibus & Principibus, de Comitibus ac Baronibus, de Nobilibus, Sc. in Academicis, superioribus seculis, Magistris ac Doctoribus promotis. folio 59.*
- 4 *De eloquentia veterum Germanorum. folio 86.*
- 5 *De studio Historico. folio 104.*
- 6 *De Poëtica disciplina laudibus. folio 130.*
- 7 *Oratio consolatoria ad Hermannum Vultejum, Iuriconsultum. folio 162.*
- 8 *Principem literatum in electione preferendum esse illiterato. folio 182.*



ORA-



HERM. KIRCHNERI,

*De luctuosissimo obitu Principis
Mauritii Iunioris, Hassiæ Landgra-
vii, &c. 11. Augusti, Anno 1612.
defuncti.*

O R A T I O I.



UÆ ab incunte hujus anni æstate huc usque in agris, in hortulis, in campis, de plantarum, herbarumq; & florum interitu hinc inde versatæ hominum querimonix sint, quæ eã de re tanquam de bustis, & funere amicorum nœniæ auditæ, iis vocibus aures nostrę ferè etiam nũm calere videntur. Sed, ô immissi floribus Austri, ut verbo Maronis nostri exclamem! ô herbarum & stirpium gemmæ! ô germina! Quid languor iste, & præcox graminũ ariditas portendisse, quid olerum, & fruticum præmaturus, & in ipso calyce emorientium flosculorum occasus significasse videatur, nunc tandem ipsi maximo cum animi dolore, summoq; patriæ universæ mœrore ac luctu omnes, heu, cognoscimus. Quid enim? an non ex agris in urbem, ex pratulis in tecta & domos nostras, ex orto & area in arcem reip. tristissima ista querela commigravit? Exaruit, proh dolor, exaruit, pulcherrimi plantarii nostri flosculus: decidit, nimis heu, immaturâ messe succisum agri nostri florentissimum liliũ: jacet lærissima seminarii nostri talea & furculus: juventutis nostræ suavitas extincta, indolis gratia amissa:

AA

missa:

missa: omnis deniq; quasi veris universi nostri voluptas, omnis venustas sublata. O frustra animis susceptas nostris spes longè maximas! O vota, & desideria inania! Florem oleæ amœnissimum vidimus, bacā quoq; & fructum videre uberrimū olim speravimus! Sed ô vanum vitæ adeò fluxæ somnium! Quam solidi nihil in mortalis ævi fiducia? defluunt omnia tanquam flosculi. Ipsa adeò juvenus quasi anemone, quam venti herbā in officinis dicunt, quòd cum florē spirante vento aperiat pulcherrimum, facilimo Euri afflatu tactuq; dissolvatur. Quid verò de floribus & foliis conquerimur, quorum, ut Græcorum vates cecinit, aura Zephyri modò alia gignit, modò alia concoquit, & exurit? Quid virentē Narcissum, quid Hiacynthum, quid Adonidem, cum Ægyptiis mulierculis, quarum divinum oraculum meminit, vanissimā voce lamentamur? Nos ipsos potius tanquam flores, & gramina existere, vitamq; nostram instar fœni subitò, & quàm citissimè exarescere assiduâ cogitatione recolamus. Quibus verò lacrymis, quibus fletibus ac doloribus tristissimā istam publici nostri viridarii cladem prosequemur? Quemadmodū enim in stirpibus & plantulis si qua calamitas primis è vagina atq; è gemma protuberantibus germinibus afferatur, eò gravior detrimenti ratio, majorq; agriculturalum miseratio esse solet, quò lætior herbescentis viriditatis spes, atq; expectatio ubertatis futuræ apparebat: Ita profectò in hominum ætate tantò acerbior pueritiæ, orientisq; adolescentiæ jactura accidit, quantò plus frugis primæ indolis hilaritas maturitati polliceri suæ videbatur. Quamobrem sapientissimos etiam homines, tametsi illi omnia in se sua posita esse ducebant, rerumq; omnium humanarum casus virtute sua inferiores censebant, tamen in liberiorū immaturiore obitu, accepimus non esse non vehementer

hementissimè commotos, tulisseq; sepiùs eorum dis-
 cèssus ac funera gravius, quàm vel doctrina, vel pro-
 fessio tantorum virorum postulare videretur. Quis e-
 nim, ut è multis unum & alterum duntaxat vobis no-
 minem, ex veterum monumentis non cognovit ea,
 quæ Solon, qui unus è septem Græciæ sapientibus u-
 surpatur, in sapientis Thaletis domo, cùm apud eun-
 dem fortè hospes per subornatum nuncium de filiū
 morte allato inani & ficto sermone perterritus esset,
 animi prorsus impotens sui egerit, quæ tanquam ex-
 tra se paterni & æroris violentia raptus dixerit. Cæ-
 debat infelix pater caput suum: capillos evellebat:
 pectus utraq; manu pulsabat: totum deniq; hospitii
 rectū clamore, & miserrimo ejulatu complebat. Quæ
 cùm sapientum alter ad eum modum fieri vidisset, se
 felicem atq; beatum præ hospite Attico prædicabat,
 quòd propterea cœlebs esse, & liberorum educando-
 rum studio abstinere voluisset, ne tum amittendorū
 metu, tum simili amissorum filiorum mœrore atq; e-
 gritudine afficeretur. Nec verò alius in eiusmodi a-
 cerbitate affectus etiam eorum fuisse hominum per-
 spicitur, qui inter sanctissimos veri Dei amicos cer-
 tissimam vitæ sempiternæ spem & fiduciam tenuer-
 unt. Quid enim ille tot filiorum parens, vates divi-
 nus, ac Psaltes regius? Quantum propter unius pusi-
 onis mortem suscepisse doloris ac mœstitiæ legitur?
 humi ille se totum abjicit: humeros & pectus in pul-
 vere & sordibus versat, ora inedia & fame, oculos pro-
 fusissimavi lacrymarum cōficit. Nec aliter, imò lon-
 gè acerbius, decem ille natorum parens, qui omnium
 fidelium patris nepos erat, tractasse sese videtur. Quo
 enim ille mœrore, quo planctu minimum natu pue-
 rum, qui in solitudine devoratus à bestiis falsò fere-
 batur, prosequitur? miserrimus miseri senis habi-
 tus! Quem etiam dum in sacris literis legimus, ani-

mus noster communi dolore, & cōmiseratione maxima capitur. Quem enim iste mœstissimi senis squalor in cilicio & sacco tot annos, quem extinctum suspicabatur, acerbissimè lugentis non commoveat, cū neque ulla domestica solatia auribus ille admittere, neque diutius inter homines superesse, sed unâ cum filio sublatus è medio esse, canosq; sepulchro, & foveæ cum suspiriis & gemitibus extremis inferre perquam enixè efflagitaret. Atqui illud quàm maximè optimis quibusq; mortalium ex eo evenire perspicuū est, quòd quò plus quisq; humanitatis, plus bonitatis ingenio, & natura suapte contineat, eò vehementius in humanis ejusmodi eventibus mœrori & dolori indulgere videatur. Quod quidem altissimi animi & rerum omnium vicissitudini sustinendæ accommodati, eruditionis præterea, & sapientiæ ferè incomparabilis viro, magno illi Julio Scaligero, patrum nostrorum memoriâ cōtigisse animadvertimus, ut cū omni aliâ rerum adversarum fortuna superior foret. in unius tamē Audecni filioli sui obitu, tametsi plures eosq; minimè degeneres natos haberet, à seipse totus propemodum deflexisse, & in lacrymas cum Niobe istâ fabulosâ diffluxisse videretur. Versatur in manibus longè gravissima ipsius parentis de eo oratio. Quæ, Deum immortalē, paterni doloris faces? quæ flammæ? qui mœroris ac luctus ardor, quæ lacrymarum acrimonia? Cujus quidem rei magnitudinem nec cogitatione quidem ulla cōprehendere ii poterunt, qui liberorum dulcissimorum amplexu per ætatem omnem caruerunt, qui, quemadmodum Germaniæ præceptor Melanchton dicere solebat, neq; intellectu, neq; sensu ullo assequi eam sententiam queunt, quam gravissimus Æneidos auctor uno versu complexam reliquit, cū cecinit: *Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.* Minus itaque mirum videri debet, si
tanta

tanta virtute, & fortitudine, rerumque divinarum & humanarum scientia longè maxima principem illustrissimum & clementissimum nostrum Dn. & Evergeten beneficentissimum, ex tam inopinato dilectissimi filii, ejusque celsitudini cognominis discessu gravissimum animi dolorè suscepisse audiamus, tantumque mœroris celsissimæ menti observatum, ut sibi ipse tristissimus parens in filii funere propemodū efferris, atque in dulcissimâ animæ parte exhalare visus fuerit. Quis enim, quis modus finisq; tam chari capitis elugendi esse possit? Tametsi enim juvenilis floris, expectatæq; indolis casus, & funera ejusmodi in principum suorum generosissimo sanguine, illustrissima Hassiæ domus ab antiquis huc usque majorum temporibus, gravissimo sæpè cum reip. luctu, complura deploraverit: nescio tamen, an ullus unquam excitatissimæ spei, & expectationis jactura gravior, acerbiorum dolorem, & desiderium ardentius post se reliquerit. Nam ut veterum mœrorum, qui tanquam ex dolio isto Homericò, quod in sinistro cœli limine positum esse canitur, in augustam hanc domum profluxêre, paucis recordemur, eos duntaxat illustrissimorum patriæ nostræ principum liberos memoria recalemus, qui cum ad spem imperii maxima cum lætitia & gratulatione felicissimè nati esse videbantur, in primo ætatis flore fati obruti præclarissimam sui expectationem cum præcoce & immatura morte commutarunt. Vix autem ex omnibus antiquis doloribus reperiri poterit quicquã acerbius aut luctuosius, quàm cum Pannoniæ regi-næ Elisabethæ, quam propter admirabilem pietatem & munificentiam erga egentes divorum numero vetustas ascripsit, unigena filius Hermannus ex principe Thuringiæ, & Hassiæ Landgravio Ludovico, quem à vitæ sanctimonia Sanctum appellarunt, natus, spes

unica utriusque nationis, unicum sanctissimæ viduæ
 matris solatium, cum incredibili populorum mœsti-
 tia, hereditarii regni auspiciis eriperetur. Cujus qui-
 dem illustrissimi adolescentis principis fatum eò mi-
 serabilius, quò innocentius pulcherrima pubes vio-
 lenta morte per venenum illata occidit. Ac sanè eo-
 dem sui principis vulnere tota simul hæc provincia
 concidisset, nisi divino quodam consilio, & ductu e-
 jusdem reginæ, ex filia Sophia nepos Henricus, Jo-
 hanne Brabantino perillustri Duce natus, heroica
 indole vix trimus puer, ante annos tamen, ut de Asca-
 nio canitur, mentem, animumq; gerens, curasq; viri-
 les, in vitam hanc sedem & ditionem pervenisset. Ab
 illo enim illustrissimæ familiæ Hassiacæ lux & splen-
 dor ad hæc usque tempora prorogatione generis fe-
 licissima dimanavit. Ejus enim deinceps successor,
 fratre priore patri cognomine præmortuo, princeps
 laudatissimus filius ex Adelheide Brunsvicensi Otto
 fuit, qui hoc nomen primus in hanc domum, à suo
 materno avo Ottone, Brunsvigæ & Luniburgæ Du-
 ce, quem unicum id ætatis Saxonici germinis decus
 appellavit Crantius, auspiciatissimè acceptum, feli-
 cissimè transtulit. Sed neq; eundem non idem gravis-
 simus luctus per immaturam dilectissimi filii amissi-
 onem excepit. Cùm enim summa indole natos qua-
 tuor haberet, minimum illorum natu Hermannum,
 maximas delitias, in ipsa vitæ quasi auctora amisit.
 Idem verò postea fatum, tanquam malus hospes, in
 hereditate apud filium successorem, eademq; in do-
 mo permansit. Nam cùm, patre defuncto, natu ma-
 ximus filius Henricus, qui ab incredibili robore, la-
 certorumque & manuum nervo Ferreus dicebatur,
 in administratione universa successisset, binosq; ex
 matrimonio heredes suscepisset, natu majorem iti-
 dem sibi cognominem, maxima expectatione adole-
 scentem,

scientem, quem jam animo successorem designaverat, subita febre extinctum perdidit. Vos antiquæ patriæ sedes, vos Hassiæ montes & arces mihi testes estis, vix dici posse, quantis mœrorum, tristitiæq; fluctibus patris senis altissima domus tum temporis inundaverit, quæ jam spe omni orbata, fulcro destituta, præsidio omni privata esse videbatur. Filiorum enim alter tristissimo funere erat elatus, alter, qui Ottonis nomine celebrabatur, ad quas nationes, & gentes delatus, in quas oras & regiones profectus, quò hominum pervenisset, prorsus ignorabatur, & propterea similiter pro defuncto habebatur. Ubi verò interea ille? Florebat id temporis nomine & auctoritate, opumq; maximarum celebritate ante alios Adolphus, ejus nominis primus, Comes Cliviæ & Marchiæ, cujus familia paulò post ad principum & Ducum fastigium ac dignitatem fuit evecta. In ejus familiam sese clam patre princeps Otto juvenis contulerat, & occultata natalis loci cõditione, ut secundum prudentium consilium, Platonisq; præceptum, antè aliis ipse fervire, & ministrare, quam imperare condisceret, equitis aulici nobile officium susceperat, & à jaculandi peritia Sagittarii cognomen meruerat. Quid verò fit? Tandè à Comite hero suo agnitus, præstantissimam corporis animiq; dote virginem, ejus filiam, tanquam pulcherrimum aulicæ militiæ honorarium, exoptatissimam conjugem accepit, eamq; summo cum applausu, & gratulatione patriæ, domum in hanc provinciã duxit. Sed ô fugacissima vitæ gaudia! Idem in florentissimo ætatis statu, cū jam militaris virtutis gloria, primaq; Martis felicitate summoperè affluere videretur, præcipite fato prævêtus, nõ sine gravi veneni suspicione, ante parentem senem sine omni posteritatis semine exspiravit! ô inane rerum humanarum ludibrium! Quid expectatissimi isti reditus? quid desideratissimi

ratissimi amplexus? quid lætitiæ, & applausus? quid
 genialis lætæ hilaritas? quid auspiciatissima in pa-
 triam domum deductio? quid tantarum ditionum
 hereditas? quid pompa, & apparatus tantus? Mo-
 mento jacent omnia. Incredibilis tum patriæ tum
 patris lætus, & desiderium! Quod enim tristissimum
 omnium esse solet, naturæ ordine turbato, ut ipsa
 legum vox hoc verbo ingemiscit, senex pater spem o-
 mnem in juventute filiorum suorum sepelivit, cum
 ipse contra multò longiorem quàm videre in misera
 orbitate volebat, senectutē, etiam ultra veteris Ma-
 saviæ annos consequeretur. Nam & interea non
 modo frater ejus Ludovicus, qui prærogativæ ætatis
 jus omne ditionis cesserat, diem suum obierat; sed &
 ejusdem filius natu major Otto, antequam adolescē-
 tiæ metam ingressus esset, è florido corporis taber-
 naculo emigraverat! ô domus antiqua quorsum col-
 laberis! quam ad tegulam venisse extremam videris?
 Itaque cum radice stirps generosissima evelleris? Non
 verò ita! Superest unicus familiæ illustrissimæ surcu-
 lus. Quisnam ille? Defuncti, quem diximus, Ottonis
 natu minor frater, principis Ferrei ex Ludovico ger-
 mano nepos Hermannus: Arminium verè alterum
 hujus nationis dixeris, qui quàm admirabili divinæ
 opis præsidio, contra tot inimicorum potentissimo-
 rum invidiam, tot contra validissimorum hostium
 millia, ad avitæ successionis fortunam virtute incre-
 dibili enisus fuerit, nec loci, neque temporis hujus
 est oratione persequi. Non tamen possum, quin te,
 non modò fortissimorum armorum, verùm etiam li-
 terarum, artiumque omnium optimarum prædica-
 tissimum columen, sempiterna animi laude, & glo-
 ria nunquàm intermorituri nominis perpetuùm ma-
 cte esse jubeam: Tu enim invicte heros, vindex, & li-
 berator patriæ: tu sanguinis illustrissimi auctor, &
 pro:

propagator : tu generis hujus conservator extitisti. Tametsi enim , ut omnia rerum illustriorum principia, antequam ad arduum perveniant , lentiore progressu esse consueverunt, ita potentissimæ hujus posteritatis spes in unica illa stirpe, non sine difficultate maxima diutius suspensa hæere videretur , cum prioris conjugii nullus omninò fructus sese ostenderet: posterioris tamen matrimonii fortuna facè longè clarissimam familiæ extulisse videbatur. Nati siquidem ex Noricâ illustrissimâ viragine Margreta, tribus ordine lætissimis nixibus , tres elegantissimi corporis ac indolis filii, quorum natu maximus Fridericus, medius Hermannus, tertius Henricus, omnem majorum gloriam reparare existimabantur. Sed ô nominis umbræ! Nam quod de Marcello adolescente, qui in Augusti Imperatoris familia effloruit, cecidisse Poëtam legimus , illud de trino isto generosissimi sanguinis partu usurpare verissimè possumus : *Ostendunt terris hos tantùm fata , nec ultra esse sinunt.* Vos ipsi animo vestro vobiscum , auditores, cogitate, quanta dolorum ac luctus acerbitas in illustrissima Hassiæ domo tum temporis fuerit versata. Ad lineam ultimam rerum summa videbatur cuncta pervenisse: spectabant forâs omnia: cum præter spem , & expectationem omnium , in media rerum perturbatione, quarto matris nixu, felicioribus vitæ auspiciis, in lucem editur filius Ludovicus, quem cognomento postea Mitem , propter placidissimam animi indolem, & bonitatem, appellarunt. Sed & ille, tametsi per omnem ætatem fortunatus fuerit, amplificatis maxima multarum arcium & civitatum, ditionumque accessione provinciæ finibus, tanta præterea auctoritate , ut Romani imperii diademate, quod ultrò Suffragatoribus remisit, dignissimus judicaretur: tamen eundem luctum ac mærorè in præ-

matura liberorum morte effugere non potuit. Est enim eidem ex quatuor pulcherrimæ spei filiolis tertius Fridericus ereptus : ereptus similiter in primo ætatis limine. Advertite verò auditores , advertite, quemadmodum cum successoribus in eadem domo successerit idem mætor, visumque fuerit tanquam vectigalia & redditus locatos in generis illustrissimi incremento habere fatum, quos nunquam non à florentiore liberorum numero exegerit. Sunt in conspectu veterum principum monumenta, & sepulchra; in quibus plura hujus rei, de qua agimus, exempla ostenduntur. Nec enim illa, quam in proximo jugo urbi imminentem conspiciatis, pervetusta sedes, & arx principum, hujus acerbitatis olim infrequens, nec luctus, & doloris hujus paterni insolens fuit. Nā & Henrico principi, Ludovici, quem Mirem cognovistis, filio, è quatuor natis vix unus residuus, & superstes mansit, reliqui in ipso adolescentiæ vere, tanquā in herba prima, abrepti. Quid enim de Ludovico natu maximo dicam? Flos ipse erat, cum pulcherrimæ lanuginis adolescens, exoptatissimum pubertatis annum decimum octavum ingressus, qui primam gubernationis januam aperire adolescentiæ principum solet, subito mortis impetu obrueretur. Duo autem inferioris ætatis adolescentuli, Fridericus alter, alter Henricus nomine, tantum spatii vivendo uterque non compleverunt : Nec quartus, qui Wilhelmus appellatus, etsi demortuo parente successerat, multo tempore supervixit. Ille enim, quod quàm plurimis olim tum imperatoribus, tum regibus, tum principibus observatum est, malè & infelicitè evenisse, intervenandum acriùs, equo lapsus, in mortis retia incidit. Tum verò spes omnis patriæ in duobus Wilhelmis principibus fratribus, Ludovico patre, qui superioris Henrici principis germanus fuerat,

rat,

rat, natis collocata erat: at alter heredem masculum nullum genuit: minor verò ferè in cunabulis, & vitæ ingressu ex Jolanda regina Calabria, uxore susceptū filiolum sibi quoq; cognominem summo cum mœrore & luctu totius provinciæ amisit. Tum verò eadem rursus, quæ toties in illustri domo antea solitudo! eadem fati necessitas! orbitas ad eundem orbem rediisse videbatur. At tu interea maximum generis illustrissimi incrementum ex secundo patris matrimonio (ô verè secundum) Philippe bellicosissime heros nasceris, cujus etsi divina rerum gestarum præconia cælum attigerint, tamen mortalis ævi fugacitatem similiter in liberorum tuorum flore luxisti, cum ex quinque florentissimis natis, tibi quæquam similimis, secundo loco genitus Philippus Ludovicus, non sine maximo venustæ indolis & suavitatis desiderio in fasciis ferè dulcissimam animam efflaret. Quid verò illud fati esse censeamus, quòd ab avita huc usque stirpe per filii & nepotis progeniem, quasi idem præmaturæ mortis telum in loco secundo editum filium nunc tertio casu fuerit contortum. Nam & tu beatissime patriæ pater Wilhelme, eundem quem victoriosus princeps Philippus, parens tuus, mœrorem in secundo geniti filii Christiani immaturis exequiis pertulisti. Et nunc eadem tristissimæ vices in secundogeniti hujus longè charissimi adolecētuli, principis Mauritiū acerbissimo casu, tanquam aliquod naturæ debitum, repetūtur, idq; præterea in quinario fratrum numero, qui, quasi fatalis sit, eodem modo neq; Philippo avo, neque ulli majorum ad longiores annos integer mansisse annotatur. At tu illustrissimi sanguinis adolescens, nulli eorum omnium, quos ex majorum linea in eodem ætatis flore tecum defletos recensuimus, tum animi, tum corporis indole secūdus fuisti: disciplina

plina cettè , & educatione , veræque pietatis ac doctrinæ institutione omnibus superior, eoque desideratior, eò luctuosior tui amissio, quò similior illustrissimi Principis Parentis omnium ætatum gloria majoris, esse videbaris. Quid autem veterum annorum tenebras cum tui ævi luce conferemus? Quid superiorem inscitiam & ruditatem cum divinæ adolescentiæ tuæ captu, & intellectu comparabimus? quæ tu ab incunabulis cum lacte primo hauseras, quæ inter nutriculæ ubera didiceras, quæ inter amplexus, & oscula illustrissimorum Parentum videras, quæ audieras, quæ cognoveras, illa etiam prisca temporis canitiem fugiebant; pueritiæ tuæ rudimenta, adultiorum, senumque documenta quondam fuissent. Vos mihi ipsi, clarissimi viri, collegæ, fidem eorum, quæ dico, testimonio gravissimo vestro confirmabitis. Quæ enim sæpenumerò vestra admiratio fuit, cum generosissimum puerum, tanquam Xenophontæum Cyrum alterum, ea ex vobis de gravissimis rerû momentis sciscitari, ea inter cænanandum quærere, ea respondere vobis audiretis, quæ non nisi maturioris consilii, & exercitatae prudentiæ esse videbantur. Recordamini mecum ejus mensæ, quam illustrissimus princeps, Pater, in aulâ duobus dilectissimis filiis, Mauritio & Wilhelmo, cum studiorum gratia apud nos triennium ferè commorarentur, haud alia ratione, & apparatu, discubituque, quam olim imperator Antoninus, quem à summo philosophiæ studio Philosophum, & φιλοσοφώτατον Justinianus, in authenticis appellavit, suis liberis ad spem imperii educatis, instituerat, ut doctrina clarissimi unde quaque acciti viri, cum iis assiduè victum caperent, Musarumque scitamentis cibum eorû quàm suavissimè cõdirent. Erat itaq; cæna illorum instar domesticæ Academiæ, cum absq; doctoribus, & Professoribus, qui de disciplinis

plinis ex studiis quibusque dissertabant, nunquam accubare conspicerentur. Erat præterea instar multorum optimorum magistrorum, vitæ & morû præfectus tanquam Leonidas ille Alexandri, aut Achilles Phænix, nobilissimus vir Georgius Schwerzelius, cujus omnia dicta & facta quasi viva quædam schola & institutio heroica esse videbantur. Memini equidem multoties mihi in illustri illo discubitu venire, quod Politianus scribit ad Picum Mirandulam Comitem, id ætatis omnium doctrinarum Phænicē, sibi cōtingisse, cum ad epulas Pauli Ursini Italiæ principis esset invitatus, ejusque filium undecim natum annos, Fabium nomine, ingeniosissimè, & perquam facundè de variis doctrinis & quæstionibus respondentem audisset. Quid verò illud? Suavissima quædam voce, inquit ille, sic in aures nostras, imò verò in præcordia pueri illapsus ingenui sermo est, ut me quidem penè extra me rapuerit, certè sensu tacito divinæ proflus cujusdam voluptatis affecerit. Et tibi, amplissime Procancellarie Vultei, in hoc suggesto præ gaudio lacrymæ visæ sunt fluxisse, cum illustrissima indoles, eo tempore, cum tu illius vices in Academia Reçtoratu susciperes, tantâ elegantia, & puritate Latini sermonis orationi tuæ breviter, & concinnè responderet, ut omnium in gratiosissimâ loquentis adolescentuli suavitate, oculi & ora defixa hærent. In quo quidem ardentioris animi tui affectu, Philippi regis Macedonia recordabar, qui similiter, cum in puero suo Alexandro præmaturam animi regii magnitudinem perspiceret, illumque eatum facere, tum dicere animadverteret, quæ vix adultioris ævi quisquam ingenio assequi posset, incredibiles animi paterni motus, ac lætitiâ suam in lacrymas, & fletum effudisse prædicatur. Quàm verò jucundū nobis foret, si ex te ipso, Juris antecessor cōsultissi-

sultissime, cognosceremus, quæ in illo munere, quod
 tanquam rudimentum majoris, ad quod natus erat
 generosissimus adolescens, imperii, perquam alacri
 atque læto animo susceperat, tecum quam sapissimè
 collocutus fuerit, quæ, ut ipse etiam nonnulla audi-
 vi, de disciplina, de moribus, de studiis, de diligentia,
 de tota denique scholasticæ rei gubernatione ioge-
 diosè percontatus fuerit, quæque ipse acutè vicissim
 responderit. Nemo verò nostrum omnium plura no-
 bis exactiùs referret quam tu, magnifice Domine
 Rector, Reverende & clarissime Theologiæ Doctor
 Georgi Schonfelde; ex te universam hujus nostri Cy-
 ripædiam cognoscere queamus: tu etenim dilectissi-
 mû caput salutaribus Christiani baptismi undis pri-
 mum imbuisi: tu prima cœlestis doctrinæ alimenta
 puerili animo inseruisi: tu primo veræ pietatis cultu
 mentem informasti: prima fundamenta fidei & reli-
 gionis docuisti: in omnibus articulis fidelissimè in-
 stituisti, institutum Ecclesiæ primùm exhibuisti: ex-
 hibitum sacra manuum impositione, & Spiritus san-
 cti signaculo confirmasti, confirmatum ad Sacramen-
 tum Christianæ communicationis deduxisti: lectio-
 ne, & interpretatione sacræ scripturæ assiduum exer-
 cuisti: totius denique interioris vitæ institutionem
 quam optimè gubernasti. Tu nobis generosissimi
 ingenii in divinâ pietate admirabiles progressus: in
 orationibus & precibus ardorem & diligentiam: in
 studio religionis amorem & intellectum: in fide fru-
 ctus: erga Dei præcepta observantiam, & timorem:
 erga illustrissimos Parentes obsequium: erga præce-
 ptos obedientiam; omnes denique Christianæ edu-
 cationis virtutes, quæ tanquam cœlestes Pleiades in
 illustri anima scintillabant, longissimo ordine, cun-
 ctorum ad admirationem commemorare posses. Sed
 quid ulterius animum tuum tanquam novis stimulis
 commo-

commoveam, cum te nondum ab illis doloribus & lacrymis, quas ipse in tristissimo funere præsens profudisti, respirasse videamus? Quo enim te dicemus ore potuisse præ mœstitia in exequiali concione verba facere? cum, quem paulò antè instar pulcherrimæ rosæ florescere, & animo, & corpore conspexeras, quem tecum & cum aliis doctrina clarissimis viris hilarè cœnantem, facundos sermones de rebus plurimis habere audieras, cum tam brevi interjectu temporis luctuosissima pompa efferri, tellureque obrui, & in avitos cineres, ac monumenta condi videres? An verò non credam in hæc verba dolorem tuum erupisse? ô nihili hominum ævum! ô curas nostras! ô excubias! ô vigilias omnes inanes! una hora tot optimorum studiorum dies, tot noctes, tot diligentissimæ educationis tempora perimit? Quò spes illa, quam sapiùs ecclesiæ, quam reip. quam Academia, quam universæ patriæ de te pollicebar? Quò dignitates, & honores, quos tibi sæpissimè assidens de litterarum cultura longè celsissimos, promittebam? quò ingenium tot laboribus excultum? quò industria tot examinibus explorata? quò oculi illi, quò sensus, quò acies illa, quæ tam defixa in studiis erant? quò aures illæ, quæ tam cupida omnium honestæ disciplinæ, quæ tam studiosæ divini verbi? quò memoria, quò animus ille, qui tam servans optimarum præceptionum? Sed plura tua non dicam: vereor enim, ne tecum ipsi lacrymis impediti, ea, quæ mater Academia nobis dictura est, parùm attentè advertamus. Quid autem illa?

Si qua unquam memoriam, inquit, sui partus delere mater poterit, si ventris ipsa sui oblivionem capere: tu summa tamen voluptas, & delitiæ olim meæ, nunc cœli gaudium, nunquam ab animo meo discedes, Tu enim primus ex illustrissimo principum
fan.

fanguine purpurâ, & sceptrâ mea gestaſti: nec ſcholaſticum gubernaculum repudiaſti: tu cœtus, & ſubſellia mea ornaſti: honore, & obſervantia patres, & doctores meos affeciſti: doctrinas, & præcepta eorum diligenter conſervaſti: publicos actus meos illuſtraſti: literas & virtutes meas unicè amaſti! Ô tempora, tanquam tempe, mea multò jucundiffima, cùm elementiffimum meum principem & Dominum Mauritium, in Mauritio filio, tanquam in divino naturæ ſpeculo, quotidie intuerer: cùm alacres illos oculos; faciem illam liberalem: vultum ingenuum: ſtatum illum elegantem: decorum illum habitum: comas illas aureolas: lætam deniq; corporis illam pulchritudinem contemplerer, cùm præ lætitia multoties exclamarem!

Sic ille manus, ſic oculos, ſic ora ferebat.

Quorſum verò iſta oblectatio mea, quorſum lux, & vita mea recessiſti? At ego te hujus ætatis terrimum fore ſperavi, qui in univerſo terrarum orbe celebratiſſimum Mauritiï nomen, continuato gloriæ feliciffimo curſu, propagaret. Ego te non alium è ſinu meo ad temp. remittere cogitabam, quàm olim juvenis ille regius è Nymphæo, & ſchola philoſophi mei ad maximam imperii gubernationem progreſſus erat. Videbam equidem eandem institutionem, & diſciplinam, niſi quòd illa profana, hæc divina, & Chriſtiana erat: videbam eandem indolis heroicæ præſtantiam, ſtudium, & alacritatem eandem videbam. Quò verò iſta omnia à nobis iſtar nivis diffluxerunt? Quid autem? ſi ætatulæ tenerioris fratres tui apud me quærant te, ſi interrogent, ubi jam ſis, ubi comoreris, quò à nobis diſceſſeris? Quid respondeam? Dicâ te ad cognatos, & neceſſarios, ad reges, & principes præpotentes profeſtum? Dicam ad regem adoleſcentem in Galliam, quò paulò poſt ire cupiebas?
dicam

dicam ad regiam juventutem in Angliam, quò jam antè illustrissimum fratrem principem Ottonem comitari mirificè ardebas? dicam ad patruelem juvenè florentissimum, exspectatione summa Electorè Palatinum: dicam in fraternam Saxonix domum, quæ jam principum consanguineorum elegantissima juventute ornatissima videtur: dicam ulterius in Marchiam agnatam, aut quò te dicam aliorsum à nobis emigrasse? Dicam videlicet id, quod res est: dicam, ad reges, & ad principes, ad majores suos, frater Mauritius vester excessit: ad proavum Heroëm Philippū abiit: ad avum Wilhelmum se recepit: ad Christinam proaviam: ad Sabinam aviam: & ð sempiterni amoris suavitatem! ad desideratissimum matris principis Agnetis Deæ Solmicæ sinum, & amplexum, ad lætissimam angelorum societatem, & perpetuæ gloriæ regnum contentissimo gradu properavit. Huc illum cultæ pietatis vehiculum: huc fidei flagrantissimæ ala: huc spes, & fiducia certissima: huc filii Deï merita, in quibus altissimus cœli currus, illum extulerunt. Salve suavissime paradisi floscule, æternumque vale, inter cœlestes amaranthos, æternasque rosas, & lilia pulcherrimum delitium vale. Hæc illa! ð omni nectare & melle dulciora solatia! Nam, si hæc ita sunt, ut certissima sunt, si quam nos mortem dicimus, porta vitæ, & portus tranquillitatis est: si discessus, secessus ad Deum, si obitus, abitus ad immortalitatem, si amissio, præmissio in veram patriam est: quid frustra lugemus? quid plangimus? quid tanquã in stadio nobiscum currentibus invidemus, si qui citius ad præfixam metam celeritate sua contenderint. Sunt profectò ea hodiernæ ætatis tempora, ii mores, ut præclarissimè cum iis actum esse videatur, qui quàm velocissimè ex mortali virâ, tanquam ex contagioso, & pestilente diversorio fuerint

divino nutu & voluntate revocati. Quòd etiam præ-
 scis seculis, quæ tamen aurea præ nostra rubigine fu-
 isse prædicantur, ne quidem gentilia oracula non
 consultissimum juventuti esse judicarunt. Quid ve-
 rò est, quod hac tempestate, in tanto rerum omnium
 præcipitio, quemquam etiam altioris loci ad diutiùs
 vivendum magnoperè invitare posset? quæ res? quæ
 spes? quod fortunæ solatium? quod certè cum in
 summis imperii dignitatibus, in honoribus & fortu-
 nis, quæ in hoc ævo maximæ esse possunt, versaretur,
 serenissimus princeps Christianus, Elector, & Dux
 Saxonix, eo nomine primus, qui nostra superioris se-
 culi memoria in optimo vitæ statu, itidem satis im-
 maturè decessit, longè prudentissimo, atque adedò di-
 vino animo vidisse, & agnovisse videtur. Quomodo
 illud verò? Memoratur ille, quemadmodum in elo-
 gio funebri ejus scriptum est, multis ante diebus
 quàm cum morbo isto, cujus postea vi superatus ex-
 spiravit, conflictari cœpisset, crebro sermone ad eos,
 qui à latere ipsius erant, usurpasse hæc verba, cum di-
 ceret, se nō obscurè animadvertere, sibi brevi esse dis-
 cedendum: tantum autem abesse, ut mortis metu per-
 cellatur, ut etiam Deo evocanti sese gratias maximas
 sit acturus, & quidem eò majores, quò maturius à
 pravæ hujus vitæ consortio liberetur: ô vocem Chri-
 stiano, verè Christiano principe dignissimam! Quam
 cum audimus, cum legimus, quem veterum Philoso-
 phorum, qui de contemnenda morte scripserunt, nō
 contemnimus? Quo quidem divini animi robore
 adversus omnem hujus ævi pompam, & inanem po-
 tentiam ejusdem avus maternus Christianus, nun-
 quàm satis laudandus Daniæ rex, fuisse similiter ce-
 lebratur. Nam cum illi in lectulo decumbenti præ-
 ciosissima monilia, cum gemmis, & unionibus rarif-
 simis, proponerentur, appage, inquit, appage istud
 lutum:

lutum: præ cælo, ad quod proficisci cogito, cœnum omnia sunt, quæ in regnis, & imperiis terrarum omnibus splendidissima habentur.

Quid verò ad hæc? an non putabimus, si ex tot, & tantis potentissimi nostri principis ditioribus, si ex tantis fortunis ac facultatibus pulcherrima quæque depromantur, si præterea, quibus rebus adolescentia aulica imprimis capi, duci que solet, speciosissimos equos Neapolitanos, si auro, & margaritis expolitas phaleras, si Britannicos canes, Antarcticæ aviculas, si psittacos, si omnes denique, quæ fingi, & excogitari possunt, delicias, & oblectationes, si postremò omnes Cæcæ thesauros in medium proferamus, rerumque istarum omnium allecamento beatissimam animam adolescentis Heroici permovere, eumque in usuram hujus lucis revocare studeamus: Quid? an non putabimus in eandem sententiam illum nobis responsurum? quid mihi vana mundi crepundia? quid floccos, & quisquilias? Sinite in eo me regno commorari, quod parvulorum proprium esse Servator noster ipse confirmavit. Hic etenim nostra vera bona: hic opes, & fortunæ æternæ: hic Imperium, & principatus noster: hic gaudium, hic voluptas nostra perpetua.

Quid plura, auditores, postulamus? Quin sancti regis vocem, inter divini Spiritus oracula, audimus? quid verò ille? Puer, inquit, nunquam ad nos, sed nos ad illum iter nostrum instruamus. Quocirca finem dicendi faciam, ubi prius, quod vos jamdudum desiderare intelligo, per beatum finem ac exoptatam & tranquillâ hujus nostræ dilectissimæ animulæ ex hac vita profectioem paucis exposuero. Ex quo quidem clarissimè perspiciemus verissimum esse, quod Dei filius, cum inter mortales degeret, juramento nobis confirmavit, fore, ut mortis sensum nullum unquam

percipiant, quotquot fructuosissimæ ipsius carnis & sanguinis sese participes fecerint. Non autem sine causa antea admirati sumus, tam insigni pulchritudine, & ut videbatur, optima valetudine, corporisque constitutione adolescentulum, tam repente & subito in morbum, & ex eo in mortem incidisse. Verum ita fieri non raro in eo morbi genere solet, quod complures sæpè annos sine ullo sui indicio in visceribus, fibrisque interioribus occultè hæret, quemadmodum medicorum omnium magistri, Hippocrates, & Galenus, memoriæ prodiderunt. Quemadmodum autem ab interdicto veteris illius pomi esu, pravaque fatalis mali concoctione lethalia omnia mala provenerunt: Ita & illud mortiferi ulceris genus, quod Telephæum appellasse veteres videntur, etiam in optimæ naturæ, & sanguinis corporibus ut plurimum apprehenditur. Quid verò illud? vomica, vulgò apostema, & abscessus in schola medicorum appellatur, quæ nunc intimas jecoris partes, nunc pulmonis, nunc alia viscera cum maximo vitæ periculo obsessa tenet. Quo quidem ulcere antiquitas prodidit Jasonem Thessalum veteris Græciæ principem laborasse, cum desertus ab omni domestico remedio, & propterea forâs in prælium profectus, lanceaque hostili perfossus, fortuitam salutem, vomica aperta, ab eo qui mortem inferre cogitaverat, memorabili casu receperit. Verum generosissimi nostri adolescentis morbus eò conjunctior cum mortis discrimine fuisse videtur, quò malum istud abstrusius, & intra venas mesaraicas, quas vocant, altiùs sese abdiderat. Nam neque tactui id genus, ut alia, quemadmodum Forestus Medicus insignis de re ista loquitur, subjacet, tum minoris gravitatis, & minoris febris est, eò autè difficilius sanatu, quò medicamentorum via ad eum locum impeditior. Nihil ergò hîc Achilleæ herbæ:
nihil

nihil Machaonis ac Podalirii artes profuistis. Antequam enim ferè animadversum lethale ulcus fuit, hostis intestinus ex diuturnis insidiis vitæ arcem visus fuit expugnasse. Jam enim Heroici animi adolescens, quanquam nõ nihil doloris, & punctiõnis, tanquam leves quosdam insultus, per aliquot dies senterat, tamen pectoris generosi firmitudinem corporis infirmitati opponere conatus, in vires ipse se suas erigit, jam lectulum ultrò deserit, jam soleas, & vestimenta poscit, jam ad iter, & comitatum illustrissimi principis parentis, sese accingit. Quid verò accidit? Inter istas corporis motiunculas rupto ex improvise abscessu, tanquam decumanus quidam fluctus vi subita inveteratum malum ex gutture effusum erumpit. Atqui ille se tum demum doloris laxamentum manifestum in præcordiis sentire, morbiq; ex eo omnis fugam sperare prædicabat, cum in lectulum ad quietem repositus, quàmprimùm certissima supremæ necessitatis signa astantibus exhiberet. Nondum autè illustrissimi parentes, nondum generosissimi fratres, & sorores, etsi in eadem domo versarentur, de ullius morbi vehementia certiores facti erant: tum deniq; primum periculum nunciabatur. Accurrunt, succurrunt in repentina perturbatione omnes: suprema imminere vident: mœrere, & lacrymari inopinatum casum tota aula: illustrissimus verò princeps, suppressa celsissimo animo tanta vi dolorum, cum Dei ministris, qui acciti aderant, omniq; corona astantium, præsentissimam medicinam in sanctissimis ad Deum precibus residuam esse maximè confusus, & in genua supplex prolapsus, omnipotentem vitæ humanæ arbitrum ardentissima oratione, regis Davidis exemplo, rogat, & obtestatur: Si, inquit, æterne pater, hæc tua divina voluntas est, ut quem ego mortalem munere tuo in hanc vitam accepi, filius dilectissimus

hic meus Mauritius diutius sospes, & incolumis hanc
 etatem nobiscum exigat, idq; tum Ecclesiæ, tum reip.
 ejusque in primis saluti & conservationi æternæ pro-
 fuerit, exiguum hunc scintillantem lychnum miseri-
 cordiæ tuæ oleo diutius alas, foveas, tuearis: si verò ex
 mortali immortalē reddere, & in cœleste regnum
 avocare eum malis; jus tuum, & potestas est paterna
 manu repetendi, quem mihi gratuito dederas, quem-
 que in novissimo expectatissimæ resurrectionis die
 certissima fide restitues. Nomen sit tuum, Domine,
 in omnibus operibus tuis benedictum. Nondum fa-
 tis finita erat, cùm finem oratio exaudita suum con-
 sequeretur. Ecce enim inter verba ista, sine ulla dolo-
 ris significatione, sine ullo gemitu, aut suspirio, sine
 ulla totius corporis commotione, nedum convulsio-
 ne, beatissima dilectissimi adolescentis anima ad
 Deum creatorem suum in sedem ætheream, ex qua
 venerat, somno placidissimo lumina occupante, pie,
 & tranquillè emigravit. Ad illud autem in sempiter-
 nam patriam exoptatissimum iter propediem facien-
 dum, jam diu omnes illius heroici animi cogitatio-
 nes, omnes curas, & sensus præparatos fuisse, argu-
 mento nobis & indicio certissimo esse potest istud,
 quod superiore anno, datis ad me literis die vigesimo
 primo Decembris, nobilissimum juris-consultum
 Eberhardum de Weihe, Cancellarium Schaumbur-
 gensē scribere memini. Quid verò illud? Cùm pau-
 lō antè ejusdem mensis Kalendis ad principalis pu-
 erperii solennitatem Cassellas ablegatus esset, aucto-
 rem sibi principem Mauritium Junioem fuisse scri-
 bit, ut meditationem de vita æterna susciperet, eam-
 que literis publicis mandaret, idq; se, quamprimùm
 domum revenisset, in ejus gratiam fecisse. Quod-
 nam, quæso, certius vitæ æternæ præsagium? Quod
 flagrantius beatitudinis desiderium esse potuit? Cu-
 jus

jus quidem incredibilem gloriam, & suavitatem, quatenus ea describi, & adumbrari literarum monumentis possit, etiam in hac caligine cognoscere, atque videre beatissima anima concupivit. Quam quidem ego postremum Magni illius Imperatoris carmine, & cujus regio sanguine, & antiquissima origine, familia hæc illustrissima principum Hassiæ proficiscitur, tanquam suprema voce affabor:

Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,

Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.

Acciderunt hæc mensis hujus Augusti proximè elapso die undecimo, qui nunc intra unum & triginta annos tertium luctum huic illustrissimæ domui, mœroremque tristissimi fati excitavit. Eodem enim Augusto illustrissima princeps Hassiæ, Heroïna cunctæ pietatis, & virtutis divinæ imago, desideratissima mater patriæ, avia generosissimi hujus adolescentuli, anno superioris seculi octogesimo primo ex terris ad cœlestes nurus excessit. Quam suam dilectissimam Augustam & conjugem illustrissimus princeps Wilhelmus, æternum bonitatis & sapientiæ exemplum, avus hujus nostri defuncti, undecim annis post, eodè mense Quintili secutus, cum incredibilem tam exterorum, quam suorum populorum desiderio, mortalitatem exiit. At tu augustissime omnium imperiorum Domine, vera lux, & vita nostra, Deus, exue nos hoc, & omni deinceps alio luctu, ac mœrore: nubes omnes à domo nostra, serenitate vultus tui abige: mortes, & funera patriæ acerba cohibe: annos & menses nostros omnes verè augustos, & secundissimos effice: domum hanc augustam Hassiæ per omnes ætates florentem valentemque illustrissimi generis incremento, optimaque liberorum indole, ad continuam successionis felicitatem tuere: in primis verò, & ante omnia, omnium nostrum maximum columen,

& præsidium hujus temporis, illustrissimum principem, Dominum nostrum clementissimum Mauriti-um, murum reipub. nostræ firmissimum, cum omnibus dilectissimis suis corculis, cum illustrissima conjugē, cum liberis, totaque familia, omnibus divi-næ benedictionis muneribus copiosè affluentem, quàm diutissimè nobis conserva: statum Ecclesiæ, & Academiae nostræ sub fortissimo patriæ Patris clypeo muni: cœtus, & societates reip. firma: inimicitias, & bella omnia dissipa: pestilentiam, febres, morbosq; & calamitates, omnia deniq; detrimenta, & incommoda tum publica, tum privata, à foro & foribus nostris, totaque regione quàm longissimè arce: postremo nos omnes in amore & timore tui, in vera pietate, in fide, in concordia, in dilectione, in obsequio, in pace, & tranquillitate, in studio, in diligentia, in obedientia, in officio, & munere deniq; suo quemq; paterna clementia rege, defende, custodi. Fiat, omnipotens pater, fiat.

O R A T I O II.

habita

XVI. Octob. 1609.

*De fatalibus Academiarum dissipationibus
& ruinis.*

QUOD adversa maris tempestate nautis evenire atque accidere solet, ut si ventorum injuriis multum diuq; jactati, tandemque non fluctibus obruti in aliquem forruitò oblatum portum pervenerint, priusquàm inde progressi ulterius navigationis cursum incitent, funemque ora solvant, navim conquassatam reficere, scissa
vela

vela refarcire, sentinam exhaurire, fractum clavum, remosque instaurare, malum incisum reparare necesse habeant. Idem nobis, in Academicæ nostræ functionis curriculo, tanquam in procellosa aliqua velificatione contingere video his temporibus, quæ veluti repentino quodam turbine nostram hanc navim, Academiã, ingruente superioribus duobus mensibus lethalis morbi periculo, qui etiam nonnullos pulcherrimæ indolis, ac summæ expectationis flosculos, non sine acerbo dolore hausit, nobisque abripuit, non mediocriter dissiparunt. Quocirca muneris atque officii mei fore censui, præsertim cum Philosophici navigii nauclerus, & facultatis Decanus hoc tempore constitutus sim, ut postquam singulari summi gubernatoris clementia, lues illa, quæ more vehementissimæ alicujus procellæ celerissime excitata, celerrimè iterum resedit, atque, ut certò speramus, penitùs nunc refrixit, antequam ad pensum publici studii reverterer, sublata rursus, tanquam è portu lampade, præmissa que aliqua oratione, de rebus iis dicerem atq; præmonerem, quæ tum ad dissipatam naviculam recolligendam, cursumq; studiorum feliciùs pertexendum, tum ad universam, omnium Universitatum, Academia- rum, Gymnasiorum, scholarumque uberrimum fructum ac salutem maximè pertinere viderentur. Dicã etenim de fatalibus florentissimarum olim Academia- rum dissipationibus, dicam de earundem ruinis & ever- sionibus, dicam de ejusdem rei causis, mentẽque totius orationis eò convertam, ut oculis & animis in præsentia tempora defixis, eam quæ præ foribus nostris, & ante limina videtur esse literarũ ac artium omnium, disciplinarumq; optimarum ruina ac interitus, diligentius animadvertamus, iramque Dei ardentissimam adversus Academi- as, Gymnasia scho-

lasq; agnoscamus, causas instantis præcipitii intelligamus, vitamq; ac mores nostros, medicina cognita, ita instruamus, ut maturè casui tanto succurrere, damni infecti coram æquo iudice agere, ruinam fulcire, ac maximo impetu irruentem turbinem à cervicibus nostris profligare, quantumque opis humanæ est, interitum quàm longissimè amoliri possimus. Juvate quæso, viri Clariss. susceptam tam gravis negotii causam æquitate iudicii vestri, favoreque ac benevolentia cursum hujus nostræ orationis sublevare. Vos verò, Illustres ac Generosi, atque Nobiliss. & lectiss. juvenes Studiosi, meum hoc salutis vestræ quærendæ conservandæq; flagrantissimum studium animo cupidissimo complectimini. Vestra enim, quæ omnium maxima queunt esse ornamenta, vestra vitæ omnis præsidia, vestræ spes & opes, fortunæque omnes in periculum commune hîc vocantur. Quid ita verò, quæritis? Num Hannibal ante portas? Imò longè peior hostis, quàm ullius truculentissimi Martis iniquitas esse possit. Eò enim recidere temporum aleam videmus, ut metus maximus sit, ne hominum vitam, uti in Metamorphosi Ovidiana pictum & fictum intuemur, in belluas, in truncos, in lapides, in frutices, monstrosa ævi hujus infelicitas transformet. Quid enim destituta literis ac artibus, desertaque à bonis omnibus moribus & disciplina, mortalium vita aliud, quàm pecudum, &, ut sapientissimus veterum Regum Alphonsus dixit, immane aliquod ferarum lustrum, Centaurorumq; stabulum? Quod in caligine gentilis superstitionis, qui à veri Dei cognitione longissimè aberrarunt, etiã naturæ lumine veteres, tum Græci, tum Romani perviderunt. Quid enim illi? Ante Promethei divinitus acceptam facem, nihil nisi hominû facem in omnibus ferè nationibus & gentibus fuisse, neq; verè homines, sed pecudes ac bestias

nuncupant, qui ritu ferarum, sine legibus, sine moribus, sine studiis ac literis vagabundi in sylvis ac nemoribus vitam suam exegerint. Nihil iidem præclarior, nihil illustrius, nihil divinius bonis illis æternis animi, mortaliū generi datum, ac nihil tributum esse rectissimè judicarunt. Nec verò quenquam hujus ævi fore existimo, qui non maximè barbaros, & ab omni humanitate alienos eos populos censeat, qui literas & artes bonas aspernentur, ab institutione & disciplina omni refugiant, Gymnasia & Academias averſentur, animiq; culturam omnem execrentur. Et quis est, qui cùm Tartarum aliquem, cùm Turcam, cùm Russum & Moschū audiat, non illicò cum ipso nomine barbariæ imaginē abhorreat, quòd nihil ingenuū, nihil liberale, nihil quod verū hominē commendare possit, in ea gente exploratū habeatur, quæ sine institutione, sine literis & studiis, sine scholis & disciplina, in solius corporis immanitatem adolevit. Quæ verò pœna gravior nationibus & gentibus divinitus infligi, quod suppliciū atrocius inferri, quæ pestis, quod exitiū, quæ calamitas major immitti, quam si divina illa rationis ac animi lux mortalium menti detrahatur? At illud tū maximè accidit, cùm Gymnasia & Scholæ dissipantur, fontes bonarū artiū extirpantur, morū & disciplinæ nervi debilitantur, Reip. & Ecclesiæ seminaria bello, fame, peste, igne, aliisque calamitatibus vastantur. Nec enim illæ sine his præſidiis stare, nedū florere ullo modo possunt. Quod nō ignoravit ille callidissimus Imperatorū apostata, qui cùm infensissimo animo adversus Christianorū cœtus esset, nō existimavit cōpendiosorē viam, ad eorū vires nō modò infringendas, sed stirpitus eosdem delendos, atq; è finibus naturæ exterminandos haberi, quam si scholarum limina obstruerentur, literarū & artiū commercia tollerētur, Gymnasia & Academiæ

verte-

verterentur. Eandem autem pœnam summum illum omnium gentium dictatorem adversus ingratas gētes ac populos omnibus hucusq; à seculis exercuisse, celeberrimarum, quæ in præcipuis orbis nationibus fuerunt, Universitatum, Academiarum & Gymnasiorum exemplis ostendam.

Unde verò exordiar? ab ea, quæ primum Academiae nomen, per tot ætatum secula omnibus illustrioribus Scholis reliquit, à qua, quicumque his parietibus continemur, honorificentissimum nomē usurpamus, ut Academici Doctores, & Studiosi appellemur. Quæ verò illa? Antiquissima literarum mater, Academia Attica, quam divinus ille, ut à veteribus nominatur, Plato, suæ domi prius instituit. Ille enim ex Ægypto, ubi à Patribus, qui à Deo instituti & edocti erant, acceptæ optimæ artis & disciplinæ in sacerdotum collegiis florebant, in patriam reversus, propè ab urbe, tribus drachmarum millibus empto Academi cujusdam divitis coloni prædio, domicilium Musarum extruxit, in quo ipse divinas animi sui dotes, uberrimo fonte sapientiæ patefacto, juventuti primus explicavit. Incredibile Dei optimi, erga Græcorum gentes beneficium! Quis enim non quasi è cœlo hunc hominem datum & oblatum, quis nõ divinitus ad hoc negotium excitatum esse dixerit, ut his mysteriis, quæ veræ humanitatis initia, quæque principia optimæ vitæ continerent, non modò Atticam, sed universas omnium gentium regiones, erudiret, atque ejus sapientiæ vi, quam humani ingenii comprehendere sagacitas maximam possit, tanquã sole aliquo illustraret? Quis enim hanc animis hominum infusam lucem æthereo illo sidere, ex quo vitæ omnis calorem ducimus, minorem censeat? à qua omnis vivendi lætitia, omnis humanitatis cultus, vitæq; splendor, omnis legum ac morum honestas, omne

mne rationis ac ingenii melioris lumen in cunctas
 nationes emanavit. Quapropter admiratione tantæ
 rei factū, ut Athenæ Platonis ingenio primūm illu-
 stratæ, universæ Græciæ *ἔρσιμα*: Athenæ *ἔλλας ἔλλα-*
δος: Athenæ mundi oculus: Athenæ ipsius universi-
 tatis universitas: Athenæ unicum omnis sapientiæ
 domicilium: Athenæ summum inter plurima naturæ
 miraculum, ab exteris populis appellarentur. Tanta
 præterea urbis auctoritas, tanta existimatio & reve-
 rentia toto terrarum orbe ex nomine & celebritate
 Academiæ oborta, ut, si Straboni fidem adhibemus,
 rubori maximo etiam Romanis & opprobrio habe-
 retur, Athenas non vidisse. Agnoscite mecum cupi-
 dissimi bonarum artium juvenes, incredibilem illam
 primæ omnium scholarum matris Atticæ Academiæ,
 majestatem, perpendite quantum ex unius Philoso-
 phi domicilio splendoris, quantum lucis, non modò
 in omnem Græciam, sed in universum terrarum or-
 bem redundaverit. Ex eo enim omnium postea scho-
 larū fundamenta petita, ex eo Peripatus, ex eo Stoa,
 per successorum æmulationem nata: ex eo in omnē
 Græciam, insulasque etiam remotiores, quàm pluri-
 mæ artium & studiorum coloniæ deductæ. Ex Græ-
 cia verò etiam in Romanorum urbem ac Imperium,
 mare transgressæ, literæ pervenerunt: Inde Alpes
 transvolarunt, in Galliam emigrarunt: in Hispanias
 & in Scotiam navigarunt. Quorsum præterea? ô mi-
 rabilem doni divini peregrinationem! annis abhinc
 propè septingentis, primūm in Germaniam nostram,
 in qua, ut Cornelius testatur, ab antiquis ætatū tem-
 poribus, viri pariter ac mulieres literarum arcana i-
 gnorabant, felicissimis auspiciis introierunt, totum-
 que deinde Septentrionem ad Balthen, & extremam
 usque Thulen, ultraque Borysthenis glaciem omnes
 ferè Arcticas oras accenderunt. Hæc Platoniciæ in-
 situ-

stitutionis incrementa, hi artium & studiorum progressus, hæc literarum curricula, hæc felicissima scientiarum propagatio fuit: Sed quàm brevis tantorū bonorum, fructuumq; in plerisq; nationibus ac gentibus, in regionibus ac civitatibus perfruitio, quãq; subita florentissimarum rerum interitio & amissio evenerit, quàm graves atque horribiles ruine ac casus, pulcherrimarum Academiarum fastigia iterum dejecerint, eruerint, prostraverint, verterint, mecum ex veterum ætatū memoria, attentis, ut cepistis, animis percipite. Quid enim de Attico rerum beatissimo fonte dicā, cujus ut inexhausta divitiarum profunditas, ita immortalitati coæva perennitas quædam esse videbatur. At illa optima artium & studiorum mater, Platonica Academia, ipso etiamnum vivente & vidente divino magistro, à discipulis vexata, à discipulis miserè exagitata, à discipulis deserta & dissipata fuit. Peperit, ut jam ante dixi, contentionis & æmulationis uterus, Academiam novam, peperit mediam, peperit Peripatum, peperit quàm plurimas alias turpissimas filias spurias, quæ, ut fieri solet, matris senectuti insultabant. Inde perpetuæ altercantium rixæ, jurgia, odia, inde plurimæ absurdarum opinionum nubes, inde quam sanctus ille gentium doctor, Athenas cūm invisisset, in publico reprehendit, verborum inanitas, & frivola de rebus omnibus contentiosè disputandi vanitas. O pestem, pestem Academiarum studiorum omnium certissimam! Illa veritatem omnem in dubitationis fumum, & in funus trahit. Illa, ubi clarissima rerum lux est, nebulas & caliginem ultrò offundit: illa, ubi controversia nulla, nulla contentio, adversitas nulla, sponte sua litium favillas ferit, bellorum semina spargit. Hac flamma Academiarum nobilissima mater Attica deflagavit, hac peste periit. Utinam verò eandem labem, tanquam heredita-

ditariam, non etiam cum maxima calamitate ad filias suas derivasset. Quid enim omnibus humani ingenii præclarissimis muneribus affluentem Atheniensem scholam defuisse dicendum, cum jam summum etiam divinæ gratiæ benignitate ad Platoniciæ scientiæ præstantissimos thesauros, ignoti, quem colebatur Dei, verissima interpretatio & cognitio, luxque æternæ sapientiæ accessisset? Quod si solem illum, & reliqua cœli lumina interrogemus, nihil tum temporis responderent, toto terrarum orbe illustrius, nihil divinius, quam Athenas, conspectum fuisse, cum ducētis amplius annis (ô verè aurea Græciæ secula!) Christianæ doctrinæ lumen, celeberrimam illam gentilis eruditionis sedem illustraret, quæ, cum toties pravæ suarum ipsius opinionum exhalationibus in extremum interitum, schola erat vocata, quæ toties à se ipsa disturbata, toties quasi in exilium quoddam extra se raptâ, Evangelii illati suavissima pace respiraret, sanctique Spiritus vinculo vicissim colligaretur, ac perpetua firmitudine roboraretur. Sive malimus ex Christianis doctoribus felicitatem istorum temporum cognoscere, audiamus clarissimos Ecclesiæ antistites, qui in Attica Academia studiosissimi commilitones, non ut noctuam Athenas portarent, sed ut Christianæ Philosophiæ operam navarent, easque doctrinæ facultates, quibus futuræ ætati præluxerunt, sibi compararent, diutiùs sese in studiis Atticis commoratos esse fatentur. Verùm quàm angustis temporum spatiis florentissimæ illius felicitatis studiū decursum, quæque citò status ille mutatus? Inter Nazianzeni & Synesii celebris scriptoris ætatem quantum intervalli? paucorum interjectus annorum est. Quid tum verò? Illius quæ temporibus tantoperè Athenis floruerat, quæ ad cœlum usque caput suum extulerant, hujus jam adventu omnia dilapsa, disturbata, everfa, per-
dita

dita omnia erant. Quid enim Synesius ad fratrem suum Epistola ultima? Nihil, ait, Athenis, suo tempore, nisi nomen Academiæ fuisse. Dei immortalis gloriam! gloriæ adeò præclari nominis, adeò celebrati studii dignitas tam repente defluxit, exaruit, evanuit? Quæ Charybdis tam subito hiatu tantum splendorem absumpsit? quæ Scylla tantum fastigium devoravit? quod fretum tantam altitudinem merfit? At nomen, inquis, restat: Restat & Trojæ nomen, quæ tamen nihil nisi campos, ubi Ilium olim steterat, habet. Sed ô & misera illa Troja miseres Athenæ, quæ ne hodie quidem veteres vestras sedes, vetera Academiæ tecta, veteres illos beatos Platonis hortulos monstrare potestis! Nihil verò, infelicissima mater, adversus hoc tam indignum fatum, te tui loci felicissimus genius custodire, cæli & terræ tuæ bonitas servare, aëris optimi temperies integritatem tuam tueri: ubertas ac amœnitas florem tuum retinere, vetustatis gloria statum tuum potuit defendere? Sed quid hæc inania rerum præsidia nomino, quæ in aliis multò majora exstiterunt? Etsi enim, ut Tullius noster asserit, eam ob causam Attici essent acutiores, quòd cælum eorum haberetur tenuius, aërque moderatior, atque eadem naturæ benignitas etiam hodie in Turcica barbarie ejus loci homines comitari prædicetur, ut, quemadmodum Busbequius Imperatorius orator nobis proditum reliquit, ex nulla alia totius Orientis regione suavioris vocis musici, cantoresque venustiores, qui voluptati aurium Principis Constantinopolitani inserviunt, quàm ex Attico agro, in aula Tyrannica habeantur: Tamen singulari consilio & ratione asperiores durioresque Academiæ locum ideò prudentissimus Plato elegisse fertur, ne, quemadmodum Ludovicus Vives *lib. 7. de trad. disc.* tradidit, nimis vernans amœnitas ad voluptates

prates discipulos pelliceret, ne a studiorum assiduitate avocaret, ne, ut fieri solet, ad prodeundum sæpius sollicitaret. Quod accidisse in pulcherrimis duabus veterum Academiis, Tarsensi & Neapolitana accepimus, quarum altera, in qua Apostolorum Princeps natus, in qua educatus, in qua admirabili illo eloquentiæ ornatu indutus, ad amœnissimam Cydni ripam condita, omnibus naturæ delitiis, omni jucunditate & copia cunctarum rerum affuebat, longè que tum Atticam, tum Alexandrinam scholam, quæ ad Nili ostia in populosissimis mœnibus constituta erat, iis rebus superabat: Altera verò in ipsius quasi naturæ luxuriantis sinu ædificata, tum salubritatem, tum loci voluptatem, tum maris opportunitatem omnium maximam, Strabone teste, habuisse prædicatur. Verùm quod Platonem nostrum de Adoniis hortis dicere solitum, legimus, quemadmodum illud Stobæus memoriæ reliquit, eos quidem voluptatis & amœnitatis refertissimos citissimè nasci, multò verò citiùs, simul ac vento aliquo tacti sint, iterum defluere ac interire: Idem de his duabus elegantissimis gratiarum & studiorum sedibus usurpare possumus. Temporis enim illæ non admodum longi injuria ita disturbatæ, ita oppressæ, ac obrutæ sunt, ut nisi Strabonem mentionem conservasset, ne quidem ipsis literis ac studiis quicquam de earum nomine constaret. Quorsum verò etiam illæ, quem modò nominatam audistis, Alexandrina? Illa omnium Academiarum, ut olim florentissima, ita etiam felicissima jure celebratur. Quid ita? Illa prima omnium Academiarum cœlestis doctrinæ lucem, Evangeliiq; salutarem doctrinam, publicis suis suggestis ac auditoriis excepit: prima Theologiæ studium in Academia lucem deduxit: prima verbum Dei publicis lectionibus illustravit: Quis enim ignorat Pantenum celeberrimum

mum ejus Academiae Philosophum, primum Theologiae Doctorem & antistitem, Professoreque Academicum, divi Pauli scripta itidem primum omnium inaudito exemplo, publicis praelectionibus explicasse, veritatem divinam disputationibus logicis demonstrasse, quantumque Philosophia ancillari inservireque sacro studio possit, ostendisse. Cujus exemplum postea praclarissimi Doctores secuti, incredibilem amorem sanctae professionis, celebritatemque scholae Theologicae accenderunt. Quid audimus, Clariss. viri? primusne Theologiae Professor, Philosophus extitit? At quae hodie contra Philosophos in quorundam Theologorum scholis odia, quae jurgia, quae certamina? Philosophos volunt ab adytis ac mysteriis suis rejectos, volunt exterminatos, volunt in exilium actos, Logicam omnem oculis refugiunt, auribus respuunt, animis aspernantur, recordationeque denique syllogismi logici perhorrescunt. At illa primi illius Alexandrini Magistri palmaria tela: illi dissertationum cunei: illae primae victoriae erant. Ex illa docendi, discendi que ratione celebritas tanta emerfit, tanta auctoritas & existimatio, ut, quemadmodum Ammianus Marcellinus refert, apud exteras omnes scholas summam eruditionis & acuminis opinionem etiam ii haberent, qui saltem Alexandrinae Academiae limina salutassent. Sed quam diuturna ista felicitas? aurum brevi in scoriam conversum: lilia in lolium degenerarunt: inter segetes zizania brevi prodierunt. Nata est pestilentissima Artii lerna: infectae exitiali veneno omnes ferè pulcherrimi corporis partes: Panteni florentissima schola, velut illa in fabulis Penthei membra, miserrimè dilacerata.

Triste admodum ac dolendum vehementer vetustissimae Christianorum Academiae fatum, cujus olim
 toto

toto orbe celebrata claritudo nunc temporis in terrimas Mahometici carceris tenebras cum universæ Græciæ veteris luce commutata? Illam olim Reges colebant, Imperatores Romani observabant, tantumque amabant, ut unius Professoris intercessio ab Augusti victoris ira & excidio urbem totam conservaverit: in illa cum Professoribus & Doctoribus, Reges & Cæsares audiri publicè disputasse: visi in subselliis confedisse, quæstiones proposuisse, propositas dissolvisse. Quis enim ex Athenæo Severi literis instructissimi Imperatoris doctissimas dissertationes ibidem habitas non cognovit? quis ex eodem Musæum Alexandrinæ Academiae non percepit, in quo ex toto terrarum orbe doctissimi quique homines acciti, liberalissimis stipendiis, lautoque victu & amictu sustentabantur, ut curis omnibus vacui, totis animi viribus cultui artium diligentissimè excolendo incumberent? Quis itidem Hadriani imperatoris in instaurandis hujus Scholæ studiis diligentiam non legit? Quantis ille muneribus Dionysium celebrem Philosophum, quantis Pancratem optimum id ætatis Poëtam cumulasse prædicatur, ut eosdem ad celebritatem Academiae augendam, ad studia literarum amplificanda, frequentiam alendam, alacriores redderet? Deum æternum! quæ conservandæ æternitati adminicula majora, quæ meliora adjumenta & præsidia haberi potuerunt? Sed multò luctuosior, & omni posteritati terribilior pulcherrimæ, ut à Justiniano appellatur, Berytensium & civitatis & Academiae casus est. Quemadmodum enim illa sulphurea Sodomes & Gomorrhæ flamma, picæque voragine sempiternum divinæ ultionis monumentum, non sine maximo animi horrore in sacris historiis perleguntur: ita profectò celeberrimæ hujus Academiae miserrimus interitus, ipsis etiam literis, quibus perscripta ruina est,

æternum horrorem & tremorem infixit. Nemini autem vestrum, juris studiosissimi juvenes, hujus splendidissimæ scholæ nomen & dignitas, vel ex vestibulo Justiniani Codicis incognita esse potest. Erat illa totius Phœnicia lumen, luculentissima civilium legum schola, quam singulari gratia & privilegio Romani Imperatores extruxerunt, ut una ex illis tribus esset, in quibus jura civilia docere, oracula Imperatorum interpretari, responsa prudentum explicare licebat, quod præter hanc & Romanam & Constantinopolitanam, nullibi locorum, ne quidem in Alexandria florentissima permittebatur. Incredible autem dictu, quantus ad hanc Berytensium, legum nutricem, ut ab Imperatore honorificentissimè insignitur, ex omnibus augustissimi Imperii nationibus ac gentibus concursus, quanta frequentatio fuerit. Quicunque spem aliquam dignitatum, honorum, ac præmiorum eorum sibi propositam habebant, quæ à Justiniano cupidæ legum juventuti, in præmio institutionum Imperialium promittuntur, fore nimirum, ut legitimo peractò studio Romanam Remp. in partibus sibi credèdis, gubernarent, illi omnes summa contentione eò festinabant eò cursitabāt, eò anhelabant: ibi præfecturas amplissimas, ibi præturas honoratissimas: ibi fasces & secures: ibi ipsam Imperii purpuram & diadema quærebant. Sed quid sit? Licentia, quemadmodum ille in comico socco loquitur, licentia fieri solemus omnes deteriores. Maximus fiebat, maximarum immunitatum & privilegi-
orum, quæ ab Imperatoribus nimio scholæ florentissimæ amori indulta erant, abusus. Quæ virtutis, quæ justitiæ, quæ honestatis laudatissima officina esse debebat, in omnem injustitiam, in nequitiam, in perulantiam, in lasciviam degenerabat: Aurea illa libertatis Academicæ aura & gratia in extremam morum
pravi-

pravitatem, in teterrimum libidinis profligatissimæ
 cœnum, in turpissimam omnium vitiorum servitu-
 tem abibat: omnis disciplina jacebat: legum & juris
 nulla ratio valebat: Professores irridebantur: præce-
 ptores spernebantur: monitores injuriis & contume-
 liis afficiebantur. Quarum rerum atrocitate etiam
 optimus ille, & studiosorum amantissimus Impera-
 tor Justinianus, aded commotus & perturbatus esse
 animadvertitur, ut ad Salaminum virum disertissi-
 mum, his gravissimis verbis ac comminationibus u-
 sus, scripserit: Illud verò satis, inquit, necessarium
 constitutum, cum summa interminatione edicimus,
 ut nemo audeat, neque in hac splendidissima civita-
 te, neque in Berytensium pulcherrimo oppido, ex
 his qui legitima peragunt studia, indignos & pessi-
 mos, imò magis serviles, & quorum effectus injuria
 est, ludos exercere, & alia crimina, vel in ipsos Pro-
 fessores, vel in socios, & maximè in eos, qui rudes ad
 recitationem legum pervenerint, perpetrare. Quis
 enim ludos appeller, ex quibus crimina oriuntur?
 Hoc fieri nullo modo patimur, sed optimo ordini in
 nostris temporibus, & hanc partem tradimus, & toti
 nostro postero transmittimus seculo, cum oporteat
 priùs animas, & postea linguas fieri eruditas. Egregia
 & verè regia Imperatoris optimi sententia, quam u-
 tinam illi omnes, qui Justinianæas leges amplexan-
 tur, quiq; ex illis dignitates ac honores consecran-
 tur, imò cuncti, qui in literarum studiis & honestatis
 officina versantur, non modò aureis literis in pariete
 descriptam, sed animo altissimo infixam, sensibus
 impressam, cogitationibusq; assiduis insculptam
 haberent: Spes longè tum nobis maxima foret, non
 modò Academias, Scholas & Gymnasia, sed etiam o-
 mnes Reipubl. partes fore feliciores, neq; expectan-
 das timendasq; esse à Deo pœnas, quas in Berytien-
 sium

sum sede evertenda contigisse legimus. Audite enim tristissimum scholæ frequentissimæ exitum. Cum neq; patriæ parentis severissimæ prohibitiones, gravissimæq; comminationes, nedum professorum ac præceptorum fidelissimæ admonitiones, quicquam loci invenirent: Deus, Deus, ipse vindex omnis iniquitatis certissimus, qui tarditatem & moram pœnarum, supplicii gravitate compensare solet, subito in tempestate nocte, cum gurgustia helluationibus fumarent, ganeæ & lustra libidinibus ferverent, Cyclopicis clamoribus omnes angiportus civitatis arderent, terræ motu terribili immisso, fundamenta urbis evertit, mœnia prostravit, recta diruit, domos disjecit, tanta hominum strage edita, ut testante nobili auctore Agathia, tria amplius millia studentium, vulgi numero præterito, una illa miserima nocte interierint. Quid, quæso auditores, ex omnibus fastis & annalibus funestius, quid miserabilius, quid horribilius, literis & studiis occurrit? Ejusmodi profectò hoc exemplum est, ut non solum, quemadmodum J. C. tus Viglius ad Carolum nostrum V. Imperatorem scripsisse legitur, omnibus juridicis scholis, omnibus tribunalibus, omnibus curiis & consistoriis sit appingendum, hoc Virgilii versu subscripto:

Discite justitiam moniti & non temnere divos.

Verùm etiam in cunctis Academiis & Gymnasiis sæpissimè iterandum, & in vestibulis ac porticibus proponendum, Servatorisque vox illa, quam Siloæ turris ruinam, stragemq; memorantibus referebat, addenda. Quæ verò illa? Nisi ad frugem reversi pœnitentiã vitæ egeritis, eodem fato cuncti peribitis. Sed ne longius orationem, quam temporis angustia ferat, extraham, reliquas etiam easque præcipuas duntaxat (quis enim omnis possit?) literarum sedes, percurrã. Antiochenam pluribus non attingam, quòd ejus &

vete-

veterem florem, & celerem dissipationem omnibus
 notissimam esse arbitret, qui vel initium orationis e-
 legantissimæ pro Archia habitæ perlegerint. Quid
 enim ibi de ea orator? Archiam in ea urbe natum esse
 dicit, celebri & copiosa quondam, atque eruditissi-
 mis hominibus, liberalissimisq; studiis affluentæ. Fa-
 to verò tam miserabili scholæ Juridicæ, florentissi-
 mum medicorum emporium, totius Asiæ oculū, Per-
 gamum subjiciam: ex quo fons ille saluberrimus ex-
 ploratissimæ sanitatis, Galenus, humano generi da-
 tus. Naturam dixisses ibidem omnes thesauros suos,
 opesq; collocasse: Scholæ huic celeberrimæ, Regis
 Eumenis munificentia, sumptuosissima, ad Ægyptio-
 rum æmulationem, bibliotheca adjecta erat. Ducen-
 ta millia lectissimorum librorum, teste Strabone, ibi-
 dem continebantur. Verùm, quod maximoperè de-
 plorādū est, divina illa salutaris medicinæ professio,
 quæ sua indole ad superstitiones proclivis, teste Pli-
 nio, habetur, ita brevi obscurata, & magicis vanitati-
 bus, fraudulentissimisq;, ut idē loquitur, artibus de-
 mētata est, ut sua ætate Apostolorū vivacissimus, Sa-
 tanæ scholā Pergami dominari, ex revelatione cœle-
 stis angeli scripserit. Vera profectò Væjovis schola,
 quæ universum ferè orbē Tartareis somniis, quæ in
 Æsculapii fano, de restitutione valetudinis capiebā-
 tur, in horrendas tenebras, fraudesq; horribiles ab-
 duxit, etiam tum temporis, quod vehementiùs dolē-
 dum, cū luce Evangelii Asia illustrata, cū septem
 illa candelabra, septē scilicet Ecclesiæ cōstitutæ, cū
 Episcopi undiquaq; ordinati essent. Sed & ipsa paulò
 post divina ultione dissipata, bibliotheca, preciosis-
 sima studiorum suppellex, à triumviro Antonio, tan-
 quam amorum & libidinis turpissimū authoramen-
 tum, Cleopatræ pellici donata, & in Ægyptū transf-
 portata. Nō transilienda hoc loco per saltū Rhodiū,

schola Rhodia, cujus celebritas etiãmnũ in proverbiiis versatur. Quod enim Tallii ætate eloquentiæ florentius domicilium, quæ schola celebrior, cum Rhetorum disertissimus Molo, mirifica dicendi copia, docendi que felicitate eandem tanto perẽ excoleret, atque amplificaret, ut etiam Cicero, etsi jam plures annos, non modò Romæ, verum etiam Athenis, & in omnibus ferè Asiæ Gymnasiis, vocis & actionis formandæ gratia artifices quàm plurimos audivisset, Rhodium sese, fama Molonis contulerit, ibiq; commoratus, inchoatam Eloquentiæ molem exædificaverit, extremam que manum, planè, ut ipse fatetur, à priore mutatus, studio, imposuerit. Vide quid unius hominis celebrata eloquentia, eruditio & ingenium, afferre splendoris ac existimationis Academiæ possit: Quæ longo tempore deserta, contempta, fastidita jacuerat: unius oratoris nomine ad pristinum decus & fastigium rediit. Quis enim de hujus scholæ fortuna fabulam istam tota Græcia decantatam non audivit? Palladi dicebantur Rhodii sacrificium obtulisse: Sacrificiis verò nihil salis ex imprudentia adhibuisse, deam idè iratam, aras illorum & urbem reliquisse, & Athenas iterum commigrasse. Quo hominum nasutorum figmento Rhodii irridebantur, quòd in Atheniensium æmulationem novam & ipsi Academiã excitassent, eam verò tam ineptè ordinassent, ut quod sal & condimentum omnis doctrinæ ac eruditionis haberetur, de eloquentiæ studio instituendo, ne quidem cogitationem ullam suscepissent. Unde factum, ut reliquarum facultatum cathedris, tanquam exuccis & aridis pratulis, desertis, ad flores Atticos, juventutis examina revolarint, donec hujus Molonis opera, gloria & existimatio scholæ Rhodiæ, quasi postliminiò revocaretur. Quæ sanè Molonis industria verissimum comprobat verbum
illud

illud esse, quod Hugo Donellus Jctus ad Leidenses consules & senatores scripsisse legitur: Eos, qui juvandis publicis studiis dent operam, & necessario quodam acutili munere in Academia rectè fungantur, quo vis honore dignos videri, ipsisq; sæpè plus Academias, quàm ipsos Academiis debere. Verùm neque ille flos Rhodius diuturnus, sed revera roseus & caducus extitit. Cessere postea artes & literæ armis: Musam Mars expulit. Tandemq; milites, qui Rhodienses dicti, amœnissimam omnium insularum sedem occuparunt, quos patrum memoria Orientis Tyrannus sævissimis bellis, non sine maxima clade Christianæ Reip. expugnavit, expulit, ejecit. Quod quidem luctuosissimi fati genus, majorum nostrorum memoria, tot annos florentissimæ, non modò Imperii, sed etiam literarum Græcarum, artiumq; arcu Constantinopoli ab eodem hoste accidisse novimus, cum barbarorum immanitate non modò in vivos, sed etiam in mortuos consiliarios, ut Alphonus libros appellare solebat, crudelissimè sævitum, ut quæ tot regum & principum curis & impendiis congesta, incredibili numero volumina, uno die ferè omnia interierint. Omnium ætatum damnum irreparabile: tantaq; literariæ civitatis clades, ut neque cogitatione quidem ulla, nedum verbis comprehendi & exprimi possit. Sed ne cursum orationis diutiùs hîc teneam; ex Oriente in Occidentem studiorum profectioes comitabimur. Romã autè non visam, cujus ruina in conspectu & oculis omnium versatur. Quid enim illa virtutis, quid priscae gloriæ & artis, quid antiquæ laudis & honoris, quid facundiæ, quid floris illius habet, quem in monumentis authorum tantoperè admiramur? de qua usurpari verissimum illud poterit, quod Paulus in legibus scripsit: Purpura in lutum cecidit. Nulla enim ibi scientia, nulla doctrina, quæ-

admodum Angelotrus Cardinalis ingenuè fateri cogitur, in pretio ullo Romæ habetur. Bononiam autem, quæ se etiã nnum matrem studiorum in publica moneta jactitat, præterire non possum. Nec verò tot rugas anæosissima annicula, quot illa cicatrices & vulnera, quot dissipaciones, quot ruinas & everisiones numerare potest? A Theodosio juniore maxima cum expectatione primùm illa erat instituta, ornamentis, quæ possunt esse maxima, instructa, insignibus regis quamplurimis honorata: at exiguo rursus intervallo ita dilapsa, & quasi fatorum adversantium manibus destructa ac dispersa, ut spe melioris auspicii, illa, quam audistis, Berytiensis in ejus locum fuerit, cum Romana & Constantinopolitana, excitata.

Jacuit itaq; illa situ & tenebris suis obruta, usque ad Carolum nostrum Magnum, qui antiquæ matris misertus, fundamentis prioribus resuscitatis, novam lucem & fulgorem instauratæ denuò scholæ intulit. Sed ô infelicem felicitatis retinendæ! Fortuna ad priores circulos citò revolvitur: celebritas modò accensa, citò iterum extinguitur: obscuritas veterum temporum revertitur. Perstitit ille squalor, ad Lotharium usque nostrum Saxonem, felicissimum non modò bellicæ rei administratorem, sed etiam amissarum legum civilium repertorem. Ille enim revocatis in lucem juris civilis studiis, quæ Gothicis inundationibus oppressa prorsus erant, Bononiensem matrem rursus exornavit, cathedras & suggesta publica reparavit, Academiam novis privilegiis excitavit, Inocentium regendis literarum curriculum præpositum, Antecessorem primarium ordinavit. Cœpit illius industria, postquam ex busto Apuliæ leges revocatae fuerant, plurimum Jurisprudentiæ nomen ibidem florere, quem etiam Lucernâ juris ob eam causam appellarunt. Magnus ex eo tempore concursus

Bonon

Bononiam, magnus ibidem docendi discendiq̄ue ardor, ut Accursius nō dubitaverit *in rubric. C. de studiis liberal.* confidenter asserere, solam Bononiensem Academiam esse, quæ juris civilis monarchiam toto terrarū orbe obtineret. Verūm ō mutabilem & incōstantem omnium monarchiarū & regnorum fortunam! Nec enim Euripi æstus toties defluere, toties eodem die reflueret memoratur, quoties Bononia, seditionum, ut eam Æneas Sylv. appellat, nutrix, tam Reipubl. quam Academiæ statum periculosissimarum vicissitudinum fluctibus implicavit.

Dies profectō narrationi non sufficeret, si à Bulgari ætate, qui Irnerii discipulus & successor fuit, usque ad Greg. Pontificem, qui nostra memoria ex Bononiensi Academia, in qua jura civilia docebat, professorisq̄ munereungebatur, ad Romani solii fortunam evehctus est, rerum omnium seriem persequi aggrederer. Nota illius Pontificis erga vetustā illam matrem liberalitas, notum illius in revocanda pristina celebritate studium, notæ immunitates & privilegia, nota merita, quibus ornatissimam reddere moliēbatur. Sed ipso vivente, & corā vidente, quæ dissipatio, quæ desertio, quæ solitudo contigit? Eodem fato jactata sæpenuerō Patavina, quæ nunc Venetorum imperio respirare aliquot ab annis visa; si respirare est, variis nationum & gentium turbis, dissidiis, cædibus, libidinibus, stupris, omniq̄ue vitiorum genere vexari, agitari quotidie? Ille enim Italicorum studiorum flos, ille vigor, illa celebritas ferè omnium hodie prædicatur. Nec in aliis exterorum Gymnasiis diversæ virtutes, diversa institutio. Quid enim Luteziana? quam idem Magnus ille noster principem in Gallia plantavit, quam primogenitam regis filiam nuncupavit. Floruit illa vetustis seculis tanta laude & gloria, ut nemo quicquā scire, nemo quicquam sapere

re cre-

re crederetur, nisi qui Parisiis aliquandiu in studiorum castris meruisset.

Omnis itaq; eò olim ex omnibus nationibus confluebat juvenus, inventique ex Germaniæ Principibus sunt, qui 20. annos ibidem consumpserint, inventi regum nepotes, ducum & principum liberi, qui literarum honores & gradus, doctorum magistrorumque ibidem assumpserint. Extat etiãnum Principis Ludovici, Landgravii Hassiæ & Thuringiæ ad regem Galliæ, Latine exarata epistola, qua filios suos studiis Academiæ Gallicæ erudiendos quàm optimè, regi commendavit. Sed ut veteres, quæ ferè innumeræ sunt, hujus scholæ Carolinæ vastationes, desertiones, dissipationes, ruinasque præteream (nec enim temporis ratio longiorem rei commemorationem permittit) quæ calamitas anni superioris memoria nostra, septuagesimi secundi, quàm inaudita immanitas, quæ laniena fuerit, quæ doctissimorum hominum, inter quos aureũ illud philosophiæ lumen, Petrus Ramus fuit, trucidatio, nemo nostrum sine suspiriis & gemitibus non recordatur. Indignissima profectò, omni divinarum literarum & studiorum immènnissima terra, quæ tot innocentium capitum cruore incaluit: indignissimus Sequana, qui unquam post-hac ullas optimarum Musarum lætities, cantus & versus amabiles audiat, cujus littora eruditissimorum Academiæ dictorum cæde fœdata, fluctus sanguine rubefacti, fluminis cursus cadaverum strage retardatus. Territus, auditores, ipse recordatione tam horrendi sceleris, in Germaniam nostram confugio, in qua nihil unquam ejusmodi auditum, nihil unquam visum perpetrari. Quid verò ibi? Veteris patriæ faciẽ si intuear, longissimo quidem tempore, per tot Imperatorum bellicosissimorum felicissimas victorias, per tot triumphos, nulla literarum, nulla artium libera-

beralium publica sedes, nulla Academia. Claustris duntaxat monachorum ac clericorum ergastulis, si quid erat doctrinae & eruditionis, continebatur, maximis laboribus ac impendiis ex scholis exteris omne ingenium nostratum petebatur. Primam omnium in Germania Academiam Austriacorum Archiducum, qui etiamnum imperii culmen, & ut legatus Polonorum Varsevicius in oratione ad Rudolphum II. hodiernum Caesarem habita, scripsit, altera manu Orientem, altera Occidentem tenent, felicissima fortuna annis ab hinc trecentis sexaginta quinque Viennae collocavit. Ejus Cathedram qui primus rexit, ex gente nostra ortus esse praedicatur, unde Henricus de Hafsia cognominatus fuit, qui ex Lutetia ad eum accitus, summam expectationem sui excitavit, cum jam ante plurima volumina lectu non indigna in lucem emisisset. Ille initium hujus Gymnasii magno numero ex Ungaria & superiore Germania fama nominis pellecto laetissimum effecit. Sed ea celebritas & frequentia ultra ejusdem mortem non perseveravit. Successerat enim nostro Hasso Thomas Haselbachius, natione Suevus, qui etsi professione Theologus erat, aliis tamen studiis animum & operam implicatam habebat, ut, teste Sylvio, duos & viginti annos in primo Esaiae capitulo praelegendo & interpretando confecerit, neque ad calcem, praeventus morte, pervenerit. Ex eodem vero Sylvio universum principis & matris Germanicarum Academiarum statum quaeso mecum paucis cognoscite. *Maximi, inquit, Gymnasii vitium est, quod nimis diutinam operam in Dialectica, nimiumque temporis in re non magni fructus terunt. Qui magisterii artium titulo decorantur, hac una in arte maxime examinantur. Caterum neque Musica, neque Rhetorica, neque Arithmetica curam ullam gerunt: quamvis metra quadam & epistolas ab aliis editas imperite exhibent.*

hibentem, magistrandum appellent. Oratoria & poetica apud eos penitus incognita, quibus omne studium in elenchus est, vanisq; cavillationibus, solidi haud quaquam multum. Qui libros Aristotelis & aliorum philosophorum habeant, raros invenies, commentariis plerunq; utuntur. Caterum studentes ipsi voluptati operam præbent, vini cibiq; avidi: pauci emergunt docti, neque sub censura tenentur, die noctuq; vagantur, magnasq; civibus molestias inferunt. Ad hoc mulierum procacitas mentes eorum alienat. Hæc, quem nominavi, Sylvius. Egregia profectò virtutis & eruditionis officina! egregia literis studendi ratio! egregia vitæ Academicæ institutio! Hæc prima scholarum publicarum exempla: hæc literarum & artium in Germania incunabula: hæc studiorum incrementa: hi progressus fuerunt. At illa ab primis radicibus insita & indita vitia, nulla subsequentiæ ætatum cura, nulla emendatione rursus evelli & sanari potuerunt. Quid enim laboris & studii Maximilianus I. Imperator, in instauranda hujus Academicæ celebritate, fulciendaq; ruina, non suscepit? novum, quod Sylvium audistis maximè in ea desiderasse, oratorum & poetarum collegium regis sumptibus cõcollatis instituit, & Cuntadam Celtem, qui primus Germanorum lauream poetica à Friderico Cæsare III. impetravit, gubernatorẽ præfecit, hac dignitate & honore indulto, ut, quò majore ardore jacentes literas inflammaret, novi Collegii Rector, Comitum, ut vocant, Palatini potestate frueretur, laureisq; poeticiis, quas inter regalia majora sibi Imperatores semper huc usque reservarunt, si quos dignos haberent, studiorum præmiis exornarent. Quo privilegio etiãnum ejus Academicæ oratorum ac poetarum collegium gaudere præ omnibus aliis Universitatibus Germaniæ videmus, de cujus hodierna celebritate atque statu, cum nemini ille non cognitus & exploratus

ratus

ratus esse possit, nihil attinet pluribus dicere. Vien-
 nensem verò Pragensis, Bohemorum Academia, qua-
 driennii passu subsecuta, cuius, ut illustrissimus au-
 ctor & conditor Imperator Carolus I V. ita splendi-
 dissima etiam principia conditæ Academiæ fuerunt,
 cùm Imperatorium paludamentum inter scholasti-
 ca subsellia reluceret, cùm Carolus ipse cum docto-
 ribus in Academia disputaret, cùm docentes profes-
 sores ipse audiret, cùm cœnis & prandiis regalibus,
 auditiones eruditorum virorum anteferret, cùm viri
 principes magistrorum apices & titulos in ea assume-
 rent. Sed quam diu illa tantarum rerum gloria? Ad fi-
 lios fundatoris non pervenit. Natæ enim illicò post
 Caroli discessum, inter Germanæ & Bohemæ natio-
 nis homines de gubernatione scholæ, quæ multos
 annos penes Germanos fuerat, vehementissimæ
 contentiones, natæ cædes & exilia, subsecuta Hus-
 ticæ doctrinæ oppugnatio, orta cruentissima certa-
 mina, quibus literarum optimarum arx ita depressa,
 ut ad hæc usq; tempora, caput rursus attollere, pri-
 stinamq; celebritatem & laudem acquirere non po-
 tuerit. Sed, ô mirabilem fatorum vicissitudinem! quæ
 tot per annorum spatia, quasi busto quodam sopita,
 ac propemodum desperata jacuit, jam quasi vere no-
 vo caput emortuum vicissim erigere, lucem aspicere,
 florem induere, pristinam salutem resumere cogno-
 scitur: Resurge, resurge, antiqua parens, vires recipe:
 postliminio tuo omnes gratulamur: novis auspiciis
 applaudimus: novam felicitatem votis novis prose-
 quimur. Prodeat, prodeat his temporibus, quæ tot
 aliarum veterum scholarum ruinas celebritate ac lu-
 ce clariore sua rependat. Quid enim vobis, aud. cæ-
 terarum Academiarum, quarum plures hodie quàm
 viginti in Germania numerantur, vultum & for-
 mam, quæ in luce & conspectu omnium est, pluribus
 dete-

detegam? Vereor equidem, ne, quod Beatus Rhena-
nus etiam jam longè antè superiore seculo, cùm nõ-
dum ille numerus esset, scripsisse legitur, verius esse
deprehendatur, quam pleriq; censeant. At quid illud?
Romanæ urbis potentiã prudentes dicere solebant,
nulla re alia, quam mole sua laborasse, mole sua pes-
sum tandem iisse. Idem ille de multitudine schola-
rum, Gymnasiorum & Academiarum usurpavit; eam-
que scripsit impedimento ac remoræ esse literarum
& studiorum progressui. Et quis neget? Quid enim?
an non idem hodierno artium cursui contingere a-
nimadvertimus, quod Chrysoströmus aureæ eloquen-
tiæ doctor, de animalculo, quod a multitudine pedũ,
Latini millepedam, Græci verò, teste Plinio, ἰούλον
dixere, memoriæ proditum reliquit? Quid verò illud?
Omnium insectorum, etsi mille pedes habeat, tardis-
simè incedit, tardissimè progreditur: Ita certè, quò
major universitatum, gymnasiorum, scholarumque
numerus, eò minor solidè doctorum hominum co-
pia fieri videtur. Imò verò pleriq; in illo numero nu-
meri evadunt, de quibus Horatius noster:

Nos numeri sumus, & fruges consumere nati.

Interrogas patriam ipsam Germaniam: interrogata
rem ita sese omnem habere clarissima voce respon-
debit. Illa etenim veteres suos Imperatores & princi-
pes affata, quid, inquit, Sigismunde Cæsar, quid Ma-
ximiliane prime, consilia vestra, quid admonitiones,
quid orationes, quas olim in comitiis ad Electores,
quibus, ut singuli in suis provinciis Academiam con-
derent, persuasistis, quid, inquam, emolumenti, quid
fructus pepererunt, quid Remp. meam, quid Eccle-
siam juverunt? Memini uno ferè anno tres Electora-
les Academias vestra autoritate constitutas: memi-
ni maximis privilegiis vestris easdem decoratas: me-
mini octodecim alias ex illo tempore subsecuras:

Pro-

Provinciæ meæ omnes cathedris & subselliis completæ, urbes & vici magistris ac doctoribus referti: studentium catervæ ex omnibus nationibus collectæ: librorum mundinis omnes regiones occupatæ: Nilominus tamen omnibus tum Reip. tum Ecclesiæ, tum scholæ functionibus, idonei viri desiderantur: gubernatores anxie queruntur: successores undique frustra petuntur: munera publica diutiùs successione destituuntur: administrationes vacuæ deseruntur: literæ ex urbe in urbem, ex gente in gentem sine fructu mittuntur. Quis vestrum, auditores, hanc patriæ vocem non verissimam agnoscit? Ipsæ Universitates, inter tot literarum cathedras, tot inter artium officinas, artes & literas exulare farentur: farentur eas inter medios fontes & flumina, tanquam Tantalum in aquis, sitire. Dixeri fortè portenti genus esse: Imò verò singulare divinæ iræ argumentum est, bonas artes ac literas, in tanta scholarum multitudine, in tanta studiorum luce, veluti salamandram in mediis ignibus, algere: in tanta librorum utilissimorum abundantia, tanquam Eresichtonem aliquem, inter medias mensarum omnium delicias, fame ac macie interire. At eam cœlestis indignationis flammam jam pridem ipsa cœli sidera significasse, atque longè antè portendisse nobis videntur. Recordamini enim mecum, recordamini, viri clarissimi, eas, quæ superiore anno nonagesimo octavo, ab omnibus ferè astrologis prædictiones, & prognostica vaticinia fuerunt toto imperio disseminata, cum solis, quod tum fiebat, deliquium, literarum & artium vastitatē, divinasq; iras & pœnas adversus omnem literatorum ordinem denunciare scriptis publicis testarentur. Illud autem eò portendi scribebant, quòd solare lumen propè ad meridianum delatum, besse sui corporis obfuscaretur, vimq; lunarem quinta cœli sede

sustineret: interea loci improbus Saturnus in pessimo angulo latitans, aspectum inimicum venenatis radiis, quos Arcturi conjunctio incitatiores efficiebat, in virorum doctorum vertices effunderet. Memini equidem ab eruditis rem istam tanquam superstitionem irrisam, & antiquis Stiffellii ac Eustathii Posselii vanitatibus ac somniis esse annumeratam, quorum ille finem rerum omnium, clausulamq; mundi in præterito octuagesimo octavo, hic verò in proximè feliciter elapso sexto collocavit. Etsi autem in astrorù cursu & recurso nihil fatalis necessitatis ponendum esse arbitremur: tamen eam, quæ id temporis prædicta fuit, non inanem fuisse solaris deliquii significationem, rerum subsequutus eventus demonstravit. Quis enim negabit, intra hoc decenniù eam factam esse studiorum ruinã, ut oculis pœnè coram videri, auribus percipi, atq; aded ipso fragore quodãmodo suo sentiri potuerit? Quanta hominum solida eruditione celeberrimorum interea temporis accidit jactura? Quæ solitudo & raritas tum in omnibus Academiis, tum in Reip. administrationibus ex eo tempore animadversa? Reip. cladem, Imperator, reges, duces, principes, omnesq; imperii status, in consiliis, in deliberationibus, in comitiis, in curiis, in cancellis, in foro, in dicasteriis, in præfecturis, in omnibus deniq; muneribus propè manu palpant. Homines autè de schola, ut appellari solent, ubi nunc gentium? Quæ tot Hermolaos, tot Politianos, tot Sadoletos, tot Bembo, tot Muretos, tot eloquentiæ & Suadæ filios ostentavit olim Italia, ne unum quidè, quem veteris laudis ac ingenii novimus, nunc fortasse ostendere poterit. Sed & eadem, quæ tot Bartolos, tot Jasones, tot Baldos, tot Alciatos habuit, ne unum quidem demortuo Menochio similem hodie dabit. Ubi verò, heus Gallia, tui nunc illi doctores sunt, quibus

bus superiore seculo abundabas, quorum claritudine ferè omnibus aliis nationibus prælucebas? Ubi Corasii, ubi Duareni, ubi Cujacii, ubi Hottomanni, ubi Donelli, æterna Jurisprudentiæ lumina? Mortui omnes, & cum illis omnis ille ævi flos, omnis ingenii Gallici admiratio. Nunc certè intelligimus, huic seculo verè illud prædixisse Cujacium, qui ad Lomelinum scripsit, vix singulas ætates singulos Jctos bonos deinceps daturas. Sed quid de regnis externis solliciti sumus? Sinum ipsi nostrum excutiamus, per Germaniã oculos nostros circumferamus: Quæ raritas Atlantum est, qui literarum & artium, facultatumq; superiorũ orbem sustinere possint? quanta eorum, qui cum priscis seculis conferri, nedũ illis præferri queant, paucitas? Ubi verò illa superioris ævi ingenia? Witeberga Jubilæum suum centenariũ annis ab hinc septem egit: centum & octuaginta duas promotiones à foundationis suæ anno, qui fuit superioris seculi secundus, usq; ad nonagesimum sextum, centum, inquam, & octuaginta duas promotiones in philosophorum studiis celebravit: Promoti in illis interea temporis quatuor mille quadringenti triginta quinque magistri, quemadmodum nobis hunc numerũ Wolffgangus Franzius Decanus publicata oratione expressit. At ne unus quidem magister Melanchthon in tanta magistrorũ multitudine Germaniæ revixit. Si verò percontemur Academias reliquas, de eadem infelicitate omnes conquerentur, neque quicquam sibi tam deesse dicent, quàm veterum, quæ amiserunt luminũ reparatã in successoribus imaginem. Quam verò causam hujus rei aliam, quàm Dei indignationem nominabimus? Ille etiam optimo agro succum & bonitatẽ subducit: ille quod satum est, etiam in fœcundissimo sulco enecat: ille eam quoque terram, quæ lactis ac mellis rivos alebat, sæpenu-

merò extrema pauperie ac fame exhaust: ille fontes totius Palestinæ regionis, Eliæ ætate, exsiccavit: imbres ac pluvias cœlo ferreo, tanquam carcere aliquo triennali, conclusit. Idem ingeniorum arva nunc emollit, nunc indurat, nunc fœcundat, nunc exasperat: idem thesauros doctrinarum, veluti auri venas, nunc promit, nunc recondit: huic seculo omnium artium lucem: illi tenebras Gothicas remittit. Frustrà itaq; Deo minùs propitio, vigiliis & lucubrationibus noctes conficiuntur: frustrà omnes urbes, vicique scholis & gymnasiis complentur: frustrà à studiorum laboribus omnia etiam, quod dicitur, ilia rumpuntur: frustrà chartis & literis omnes temporū articuli, ex præscripto Plinii, impenduntur. Quî verò justissimus ille rerum arbiter, horum temporū studia, non adverso vultu intueri, quî irasci & vehementissimè stomachari, quî non flammam ac ignem moliri, quî non pestem, famem, ferrum, vastitatem, quî interitum meditari non possit? Quo fremitu exarsisse plebem Erphordensem, superioris seculi anno vigesimo octavo, ex senioribus audivimus, cum petulantius Academica juvenus, quæ tum temporis frequentissima ibidem erat, adversus cives sese gessisset, cum tumultibus nocturnis urbem lacessissent, cum lapidibus domos & tecta obruissent, cum fenestras & fores hospitum fregissent? Quid verò tum factum? Excitus magno agmine populus, collegiorum domos, admotis etiam tormentis bellicis, obsedit, expugnavit, ac ut quemq; juvenum studiosorum, velut hostem, arripuit, vulneravit, trucidavit, neque priùs conquievit, quàm vitulantium adolescentū multitudo mœnibus esset urbis profligata. Jacet ex illo die etiamnum, olim florentissima Academia, quæ tanta auctoritate & existimatione eruditionis erat, ut nemo literatorum majoris pretii ac nominis haberetur, quàm

quàm qui Erphordensis Academiae insignibus esset ornatus. Tanta verò frequentia ibidem florebat, ut etiam Eobanus, qui postea in hanc nostram scholam sese contulit, poëtarum interpres, mille & quingentos auditores habuerit. Tanta præterea regni scholastici gloria, tantus publicorum actuum splendor, tantum universitatis lumen fuisse prædicatur, ut earum rerum testis locupletissimus Lutherus, quem primas doctrinae laureolas in eadem consecutū esse cognovimus, Germaniæ paradisum id ætatis Academiae istam fuisse affirmasse scribatur. Quid ergo? cùm ea quoque hominum ira ac vindicta adversus hominum injurias existat, putabimūsne vindicem cœlestem, qui totus adversum iniquitatem omnem esse flammeus dicitur, mixiore animo contra mores istos hodierni ævi, qui longè pejores, quàm ullis unquam majorum seculis auditi sunt, futurum. Nerone quidem bipedum nequissimū legimus, ut Dion prodit, cùm universam Græciam peragraret, veteresque urbes ac insulas lustraret, Athenas convisere, eam ob causam recusasse, quòd ibidem Erynnidas ac furias habitare diceret. At nos fortasse existimabimus, Deum optimum in iis locis & castris versari posse, in quæ multò veriùs affirmare possis, omnes Eumenidas ac furores ex infernis sedibus commigrasse. De qua communi Academiarum peste, quod vehementissimè dolendum est, omnes boni undiquaque viri conqueruntur, clamitant doctores, indignantur Meccænates: nutritios scholarū, principes illustrissimos, sumptuum, ornamentorum, privilegiorum, beneficiorum malè collatorum pœnitet, maluntq; idèd dissipatas, quàm dissolutas Academias videre. Quid verò? Nōne summum illum rerum optimarum largitorem arbitrabimur, munerum suorum maximo-perè pœnitere, cùm cœlestes illos animi thesauros

ranta ingratitude deformari, pedibusq; protervis passim conculcari animadvertat. Scitum illud de veteri Epidamno, Græciæ urbe, quæ postea Dyrrachii nomen sortita fuit, comici verbum atq; allusio habetur, cum Epidamnium ex eo dici Plautinus servulus argumentetur, quod nemo peregrinorum, propter perversissimam civitatis disciplinam, sine damno eò divertat, sine damno nemo inde redeat. Quam vellem profectò, studiosi auditores, ne de quamplurimis etiam scholis atque Academiis, quæ cuncta salutis seminaria, fontesque tum publicæ, tum privatæ utilitatis esse debebant, idem prædicari posset; in quibus, quemadmodum antiqui etiam Imperatores, Leo atq; Zeno, ad Eusebium magistrum officiorum scripsisse, deq; eadem re vehementer conquesti fuisse leguntur, ut *ex l. 2. C. de privil. schol.* perspicuum est, sub prætextu concessi privilegii, & flagitiorum crescit auctoritas, & publica vacillat utilitas, in quibus, non patris Ciceronis facundia, non gravitas, non eruditio, sed filii Ciceronis temulentia, furor atq; helluatio, velut in Lapitharum Schytarumq; gurgustiiis, aut in Hippia, quas Tullius Antonio objicit, nuptiis, summa virium contentione exercetur: in quibus tanquam in Mithrydaticis comotationibus majori laudi ac gloriæ vertitur egregium potatorè, quam insignem oratorem haberi. Quæ quidem ingeniorum labes non nostri primùm ævi moribus increbuisse, sed antiquo vitio Germaniæ Gymnasis ac Academiis insedisse, à Sylvio, quem sæpiùs vobis nominavi, perhibetur. Non enim hoc loco possum præterire illud, quod idem de quadam Saxoniae nostræ Universitate, quæ ex dissipatæ Pragensis scholæ rudibus erat excitata, & quasi colonia nova tum temporis deducta, proditum memoriæ reliquit: festivum profectò acroama! Cùm enim Leonardus Filfechius,

eque-

equeſtri familia natus, in paulò antè excitatam Academiaſiam fortè appuliſſet, de què ſobrini ſui ſtudiis ac moribus, qui eodem, ut literis mereret, à parentibus miſſus erat, diligenter, ut fieri ſolet, perquiſiſſet, homo, qui eum, de quo quærebat, utpote familia-rem commilitationem noverat, interrogatus: optimè, inquit, illius tui propinqui res ſeſe habent: Inter mille enim ac quingentos, qui in hac urbe ſtudiorum gratia verſamur, adoleſcentes, ille unus potandæ gloriæ ac palmam obtinet. Quis verò egregiam hanc Academicæ hominis commendationem non agnoſcit? quis hodierni ævi iudicium non idem audi- vit? quis eodem triumphos in Academiaſiis hodiernis, & quidem multò ſuperbiores non perſpicit? Ex illo autem tot malorum fonte cauſæ etiam reliquæ, quæ caſum & ruinam ſtudiorum trahere, vaſtitatem- que literis univerſalem inferre ſolent, proficiſcun- tur, de quibus quoque pluribus hinc à ſeculis Æ- neas Garzæus, ſcriptor antiquus, qui imperio Ze- nonis floruit, ſuam ætatem paulatim in illas, quæ poſtea ſecutæ ſunt, tenebras illabentem admonuit. Quæ verò illæ? Falfus amor literarum, & confuſa di- ſcendi methodus. Duæ profectò capitales ſtudiorum omnium peſtes, quæ in omnibus ferè Univerſitati- bus ac ſcholis erexiſſe vexilla ſua hodie videtur. Nec illud cuiquam admirandum: ubi enim veræ doctri- næ cupiditas, ubi ſtimulus, ubi ardor, ubi animus, u- bi ſolertia, ubi navitas ulla eſſe poterit, ſi principium omnis ſcientiæ, timor nimirum Dei ſubmoveatur? Quomodo verò verus diſcendi amor & ſtudium cum pravitate morum, cum protervia conjungi ullo mo- do poteſt? Perpetuis ſiquidem illa, quaſi mutuis præ- liis, ſibi adverſantur. Ex illa enim parte animi quies & tranquillitas: hinc æſtus & furor pugnat: illinc di- ligentia & aſſiduitas: hinc deſidia & inertia: illinc ſtu- dium

dium:hinc otium: illinc pudor & modestia: hinc pe-
culantia ac libido: illinc obedientia ac gravitas: hinc
rebellio & levitas: deniq; temperantia, continentia,
prudentia, virtutes denique omnes, certant cum lu-
xuria, lascivia, temeritate, cum vitiis omnibus: po-
stremò bona ratio cum perdita, mens sana cum amē-
tia, bona denique spes cum studiorum omnium de-
speratione confligit. Quid verò de præpostero discē-
di ordine dicam, in quo certissima fundi Academici
calamitas, ac studiorum exitium versatur? Quis non
singulare perturbationis divinitùs immissæ genus a-
gnoscat, in Sodomea illa cæcitate ac caligine, quam
etiam Hebræi peculiari vocabulo, Basanferim vo-
cant, cùm videntes apertis oculis nihil videant, quod
manu apprehendunt, quod tenent, quod palpant, nō
sentiant, non animadvertant? At ejusdem erroris te-
nebræ maximoperè vereor, ne etiam in studiorum
liminibus, & in liberaliorum artium itineribus ho-
die inveniantur. Quotusquisq; enim recta via in ad-
eundis literis utitur? quotusquisque ex ipsis fontibus
genuinam doctrinæ medullam petit? per præcipitia,
per anfractus, per dispendia plerique irruunt: ac, in
quo certissimus lapsus ac ruina posita est, quemad-
modum etiam Gregorius Pontifex de re ista monuit,
ad summum fastigium per abrupta inferioribus gra-
dibus posthabitis, contendunt? Plerique etiam cum
Icaro isto fabuloso, quod, ut in Plautina scena legi-
tur, omnium difficilimum est, sine pennis volant.
Quid enim hoc aliud, quàm quod fieri vulgò vide-
mus, perorant, antequam loqui didicerint: dispu-
tant, antequam rem legerint, nedum intellexerint:
concionantur, antequam Biblia viderint: in forum
progreuntur, antequam cunabula legitimi studii
attigerint: opium miscent, antequam apium cogno-
verint. Sed quis vias omnes errorum, & tam præpo-
steri

steri ordinis rationes persequatur? Si modò rationes, si viæ ullæ dicendę sunt, quæ à compendio in dispendium, à luce in caliginem, à celebritate in vastitatem, à scientia in ignorantiam, ab optima cultura, in ruditatem seducant. Verùm ne ipsa hæc oratio longiùs abripi, & à portu deflecti videatur, vela colligam, finemq; dicendi faciam, cùm persuasissimum mihi habeam, neminem vestrũ, studiosi lectissimi, fore, qui non ex ipsis, quæ dicta sunt, abundè intellexerit, tum propter hominum ingratitude, inobedientiam, superbiam, petulantiam, lasciviam, proterviam, aliaq; vitia & scelera, florentissimas veterum gentium scholas, divina animadversione esse dissipatas, versas & everfas: esse ex natione alia in aliam, ex orbe in orbem, ex provincia in provinciam literas & artes translatas: esse præstantissimas ingenio cultuque terras, Scythica barbarie & ruditate multatas: Tum verò non videat, non cognoscat, eandem optimorum studiorum ruinam, idem artium & literarum exilium, eundem humanitatis interitũ nostris temporibus vi maxima imminere. Causam itaq; morbi, ut arbitror, cognitam habemus: medicinam ipsi nobis salutarem piis votis & precibus, vitæq; ac morum emendatione adhibere possumus. At illud faxit æternus omnis eruditionis & scientiæ fons, Deus, ut ad nos ipsi reversi, reverti nobis omnem felicitatẽ, prosperitatem, perpetuamq; salutem faciamus: cui immortales cunctis animi vocibus agimus gratias, quòd paternæ misericordiæ memor, exardescere graviùs suam adversus nos iram non fuerit passus, quòd è medio cursu gladium superioris pœnæ revocaverit: quòd caput hujus Academiæ nostræ, juris & æquitatis admirandum omnibus etiam exteris verticem, à quo reliquorum membrorum salus dependet, sospitem & incolumem, cum summa rerum futurarum

certissima spe & expectatione nobis restituerit, quodque totum hunc clarissimorum virorum confessum, Senatū Academiæ, integrum, valentem, florentem, coram intueamur: quod dissipatam frequentiam magis magisque recolligi, auditoria studiis impleri, pristina exercitia repeti, atque omnia in florem priorem reverti videamus, ut non immeritò octogenariam hanc matrem conferre cum illa Venusina ilice queamus, de qua Horatius noster ita canit:

Durus ut ilex tonsa bipennibus

Nigra feraci frondis in Algido

Per damna, per cades, ab ipso

Ducit opes, animumque ferro.

Cœlestis ille rerum nostrarum custos & propagator, ab omni deinceps adversa tempestate hanc nostram naviculam protegat: illustrissimum nostrum principem, patriæ patrem, benefactorem & nutritium Ecclesiæ ac scholæ verè divinum, quàm diutissimè nobis conservet: heroicam indolem junioris principis MAURITII, Rectoris nostri Magnificentissimi, omnibus animi ac corporis donis cumulatissimum efficiat, cunctarumque virtutum fragrantia pulcherrimum ætatis lilium compleat: illustrissimamque reliquam omnem propaginem ab omni adversitate defendat: nosque omnes & singulos suavissimo pacis & concordie osculo devinctos, in felicissimo pietatis, virtutisque stadio, totiusque ævi ac studiorum curriculo longissimè tueatur.

ORA:

ORATIO III.

habita 18. Decemb. 1606.

*De Illustrissimæ familiae Ducibus & Principibus,
de Comitibus ac Baronibus, de nobilibus, &c.
in Academiis, superioribus seculis, Ma-
gistris ac Doctoribus pro-
motis.*



U M tam sinistram de Academicis honori-
bus ac titulis opinionem non solum inter
homines aulicos, & ab artium & literarum
studiis alienos, verum etiam inter eos, qui
in mediis Musarum castris versari, atque eruditionis
stipendium amplexi sunt, invalescere hodiernis tem-
poribus animadvertamus, ut literarias dignitates,
infulasque & apices honorum, quos in publicis Aca-
demiis & Universitatibus virtutis & eruditionis præ-
mio conferendos, Romanorum Imperatorum au-
gustissima majestas divino consilio constituit, tum
generis nobilitatem, tum stirpis altitudinem, tum
sanguinis antiquitatem, tum majorum morem &
institutum minimè decere vulgo existiment, falso-
que cum sibi, tum aliis persuasissimum faciant, vete-
ris Germanorum nobilitatis exemplis graduū Scho-
lasticorum susceptionem adversari, neque ex fami-
liis illustrioribus quemq; facile nominari posse, qui
vel Doctoris aut Magistri dignitatem cum dignita-
te generis conjunxerit: hac mea oratione, clarissi-
mis sexcentorum & plurium annorum curriculis
in medium allatis, à primis literarum in Germania
positis cunabulis, innumerabili exemplorum multi-
tudine adducta evincam, & ostendam verissimis ar-
gumentis, nihil tum Illustrissimos Principes, tum ge-
nero-

nerosissimos comites, tum verò nobilissimos quoque Germanorum equites ac proceres imperii, magis sibi exoptandum, majorique studio ac industria ambiendum, quàm literariæ virtutis ac eruditionis gloriam, dignitatem ac titulum Magistrorum & Doctorum duxisse. Aurem & auram benignissimæ voluntatis præbere, generos. Bar. nobilissima studiorum pubes, omnesque literariæ reip. cives, ac hospites, flos & cætus ornatissime. Nomina vetustissimarum familiarum audietis, inter majorum exempla partim amicos, partim cognatos & propinquos, partim consanguineos & necessarios cognoscetis. Etsi autem opere precium me facturum esse non ignorem, si falsissimæ istius, quam audistis, opinionis principia, rationum firmissimarum monumentis expugnata, primum omnium demoliar, & ex imo fundamento diruta evertam, contraque ipsius naturæ validissimis argumentis ac rationibus astruam, nihil illustrius. Principibus illustrius, nihil à generosissimis Comitibus & Baronibus generosius, nihil nobilissimis hominibus nobilius, nihil clarissimis viris præclarius haberi, nihil divinius comparari, nihil firmitus & constantius possideri, bonarum artium studiis & dignitatibus posse: malo tamen angustiae temporis locique rationibus, cedere, eaque commodioribus spatiis reservare, idque eò libentius, quòd in harum rerum tractationibus, plus auctoritatis & momenti illustrium exemplorum demonstrationes, quæ viva documenta feruntur, quàm ex intimo veritatis sinu depromptas præceptiones, omnesque sapientissimi Senecæ sententias ac regulas, habere intelligam. Ut itaque ab illius ævi felicitate felicissimè proficiscatur oratio; cum primum ruditatis ac inscitiae communis caligine tenebrisque depulsis (de qua re Romanorum annalium gravissimus scriptor Cornelius referens:

Lite-

Literarum, inquit, secreta viri pariter ac foeminae Germanorum ignorant) Caroli nostri Magni auspiciatissimo imperio tum Rhenus, tum Ister, & artium humanarum studiis, & divinae salutis agnitione florescere ceperit, cum literarum gymnasia & in monasteriis & in Ecclesiis metropolitanis hinc inde constituerentur, cum magistri & praecipuos celeberrimi ex Scotia & Anglia peterentur, Rabanus, Alcuinus, Malroffius, aliique in monasteria & scholas mitterentur, seminaria tum Latinae tum Graecae linguae instruerentur, cum denique prima omnium Academia regia ad Sequanam in Gallia excitaretur. Hic utique animadvertendum diligentissime nobis erit, qui Caroli Imperatoris de literarum & artium dignitatibus instituendis, de honoribus elargiendis sensus, quae mens, quod iudicium, quae ratio fuerit. At illud haud obscure ex eo colligere & perspicere quisque possumus, quod tum suos tum suorum principum, comitum ac primatum, nobiliumque liberos potissimum instruere, informarique in literarum officinis, artiumque & facultatum gymnasiis expetierit, atque ad id ferriis mandatis ac edictis iusserit, cum in Academiae Parisiensis frequentissimo coetu, publica voce testaretur, se neminem neque honestissimo consiliarium loco recepturum, neque ulli vel praefecturae vel curiae munus & functionem assignaturum, neque Episcopalem dignitatem ulli concessurum, qui non nobilitatem sui generis nobilitate animi, literarumque gloria & scientiarum dignitate ornatissimam reddidisset. Testis ejus gloriosissimae vocis Eginardus, qui se non ab aliis didicisse, sed praesentibus auribus percepisse confirmat. Hoc vero Caroli Imperatoris augustissimum & sapientissimum iudicium quid aliud, quam quod adversus Gothicam vulgi opinionem praedicatur, literarum & artium gloriam
acho-

ac honorem ad neminem magis, quàm ad nobilissimum quemque pertinere, validissimè asserit? Atqui iudicio illi imperatorio astipulati omnes id ætatis principes, omnes comites, omnisque Germanorum præcipua nobilitas, cum tanto numero, tamque incitate cursu, ad animi culturam, bonarumque artium disciplinam percipiendam, ex omnibus provinciis in novas literarum officinas, nobilissima juvenus conflueret, ut in finitimo nostris agris Fuldensi cœnobio, quod paulò ante Pipinus potentissimus Francorum princeps, Bonifacii opera, studiorum domicilium constituerat, sexcenti equitum nobilissimorum liberi, nobilissimo viro Sturmio Abbate, cum aliis triginta doctoribus, artes & linguas ibidem proficiente, uno eodemque anno liberalissimis ingenii exercitiis incubuerint. Ac ut aliarum monasticarum scholarum florentissimos cœtus præteream, non omittere possum carissimæ patriæ meæ Hersfeldiæ tum antiquissimam, tum nobilissimam, à nobilissimis hominibus literarum & disciplinæ gratia frequentatam eadem ætate Ecclesiam, cum Rabanus & Alcuinus uberrimos Musarum fontes per latissimas Hassiæ & Thuringiæ oras plenissimis rivis effunderent, trecentorumque nobilissimorum juvenum scholam ibidem moderarentur, ex quorum numero antiquissimæ & nobilissimæ stirpis Haymo, cujus familia ad hunc usque diem ad Cheruscorum saltus & nomen & sedem ac domicilium vetustissimum retinet, per illustri eruditionis fama, scriptorumque, quæ ad hæc tempora reservata sunt, claritudine emicuit. Universa ille Bibliorum volumina commentariis illustravit, historiæ Ecclesiasticæ epitomen concinnavit, Evangeliorum prælectiones concionibus eruditis exornavit, tantam nominis ex-

stima-

stimationem & auctoritatem eruditionis consecutus, ut Rabanus ex Abbate & Professore monastico Archiepiscopus Moguntii creatus, viginti duos libros, quos de Universo scripsit, huic suo discipulo Haymoni, ex Hersfeldensis Ecclesiae gubernatione, ad Episcopatum Halberstadensem evecto, inscripserit & dedicaverit.

Nolo reliquos ejusdem condiscipulos nobilissimos nominatim omnes proferre. Quis enim finis orationis futurus esset, si omnium indicem eorum instituerem, qui ex nobilissimis familiis progressi, literarum gloriam, veluti unicum nobilitatis ornamentum, sunt consecrati? illos duntaxat hoc loco honorificam mentione prosequar, qui ab istis principiis rei literariae in Germaniam jactis, ex Principum & Comitum nobiliumque ordine, non modò literas ac artes ingenuas summo studio percoluerunt, sed etiam literarum insignia, ac titulos & honores Academicos, gradibus, ut vocant, assumptis, maximam cum voluptate & dignitate induerunt. Dignissimi siquidem illi heroës, cum gloriae literatae acceptis muneribus, generis sui fastigio literarum dignitatem cohonestarint, ut vicissim sempiternis literarum recordationibus monumentisque immortalibus colantur.

Seriùs autem & rariùs primis istis seculis graduùm apices & titulos Magistrorum Doctorumque inter Germanos inventos, non est quod mireris, si publicam Academiam, unde fontes istorum honorum emanant, interjectam inter Caroli Magni aetatem, & Caroli Quarti imperium, quadringentorum & quinquaginta annorum intercapedine, nullam in Germanorum provinciis existisse cogitaveris. Mireremur potiùs ex illis temporum intervallis quemquam nominari posse, qui vel ex Italiâ, aut Gallia,
vel

vel etiam Anglia, quæ antiquissimas studiorum Uni-
 versitates longissimis temporibus ante prima Ger-
 mania gymnasia habuerunt, literariam dignitatem
 ac ornamentum retulerit, quandoquidem non mi-
 noribus constituisse periculis ac impendiis, non mi-
 noribus viarum & itinerum difficultatibus acqui-
 sitionem eius præmii exploratum habeatur, quàm vel
 aurei Equitis cingulum & calcaria, quæ ex Palæsti-
 nis regionibus hodie petuntur, aut aurea ista Col-
 chorum vellera, qui laboriosissimâ & sumptuosissi-
 ma veterum Græcorum navigatione olim quæsitâ.
 Jure itaque admiremur magistrorum omnium pri-
 mum, quem ex Germanorum nobilitate annales
 nostri nominatim expressum habent, Philippum,
 qui Henrici in Aucupis Imp. historia prædicatur,
 tum nobili genere, tum eruditione, tum judicio &
 consilio singulari. Quid autem ille? cùm ab inti-
 mis Aucupis secretis esset, & utramque consiliorum
 imperialium paginam in manu haberet, princeps &
 auctor fuisse legitur, equestris virtutis & fortitudi-
 nis acuendæ gratia, ludos hastarum ac torneamen-
 torum, quemadmodum appellant, spectacula publi-
 ca instituendi: suavit ille, & felicissimè imperatori
 persuasit. Institutum profectò nobilitatis virtuti ac
 gloriæ tum amplificandæ tum conservandæ longè
 accommodatissimum, quod longissima temporum
 serie in Germania diligentissimo studio cultum, &
 summo honore celebratum: institutum, quo nihil
 equestri ordini illustrius, nihil fortitudini exercen-
 dæ fructuosius, nihil honestati retinendæ firmiter
 inveniri potuisse, gravissimè à prudentissimis homi-
 nibus in superiorum annorum imperialibus comi-
 tiis publica voce dissertatum esse memini. Maximè
 verò cùm memorabile, tum honorificum magistro-
 rum nomini hoc quis exemplum non existimet? Pri-
 mum

mum ferè omnium Magistrorum, quem ex historiis nostris sciamus, in Germania virum & nobilem, & summum summi Principis consiliariū, & longè fortissimi ac laudatissimi consilii, nobilissimiq; ordinis & instituti principem ac auctorem nominari? Singularem verò orationem hæc unica hujus orationis sententia postularet. Quid enim? si hujus loci ratio & temporis ferret, annon dicerem hujus Magistri Philippi consilio ac instituto omnes imperatorum & principum, comitum, baronum, heroumque nobilissimorum laudes & victorias, omnia præmia & dignitates ex istis equestribus certaminibus olim relatas, acceptas esse referendas? dicerè universæ Germaniæ nobilitatem Magistri Philippi consilio & instituto non modò fortissimam, verùm etiam laudatissimã, disciplina equestris hujus exercitii præscripta evasisse: dicerem omnium ferè nobilissimarum familiarum scuta ac insignia, arma & clypeos Magistri Philippi consilio & instituto plurimum enituisse: Sed ad aliorum gradus ostendendos gradum orationis potiùs incitemus, Doctorum omnium primus, quem ex historiis habere Germanorum possim, nobilissimus antiquissimo genere prædicatur Burchardus de Mangefeld, Decretalium, ut appellant, insignibus ornatus. At quis ille? Ottonis Secundi Imperatoris Consiliarius, qui non multùm infra annum Christi 974. claruit, qui veterum Saxonum jura primus declarationibus suis illustravit, & cum Cæsareo Pontificioq; jure comparavit, alter Dorotheus, alter Tribonianus Saxonum meritò ob id nuncupandus. Ac tantæ quidem ille auctoritatis in aulâ Imperatoriâ fuisse cognoscitur, ut cùm Cæsar Otto regem Bohemorum anno 978. ex comitiis Altstedenſibus, in quibus imperio fidem juraverat, honorificentissimè domum reducere cõstituisset, huic nobilissimo Do-

Etori regii comitatus honorem unà cum illustrissi-
 mo Comite Brunone, antiquissimæ Querfurtensis
 familiæ, quæ postea invictissimum Lotharium Impe-
 ratorem Germaniæ dedit, tanquam omnium dignissi-
 mo tanti muneris administratione, detulerit. Quid
 verò utrique & Magistrorum & Doctorum gradui il-
 lustrius? quid dignitati exornandæ præclarius? quid
 contrariæ vulgi opinioni non modò minuendæ, sed
 stirpitùs evertendæ validiùs, quàm amborum hono-
 rum initia, & prima gradum exempla in Germania,
 non ad plebejos aliquos, sed ad nobilissimos tum
 genere, tum eruditione homines referri? Tempus me
 subsistere diutius hîc non permittit, ad reliquos, qui
 horum laudatissima vestigia secuti sunt, progredia-
 mur. Divinissimi & dii apicem, sanctæque Theolo-
 giæ titulum perspicimus. At hîc mihi primus ex ve-
 teri Germania nostra regii & illustrissimi sanguinis
 occurrit Johannes Dux Megalopolitanus, Primis-
 lao supremo Vandalorum rege avo, patre verò po-
 tentissimo Duce Henrico, qui omnium primus
 Christiano fonticulo nomen ex illa gente dedit, na-
 tus. Quid verò ille? tanto divinæ sapientiæ huma-
 niorumque disciplinarum amore captus fuisse legi-
 tur, ut Lutetiam studiorum gratia profectus, annos-
 que viginti in Academia continuò versatus, cum sua-
 vissimis condiscipulis suis, Rege Cypri, & juniore
 Massiliæ Principe, regis Galliæ filio, quem Delfina-
 tem appellant, & illustrissimo Comite Henrico o-
 ctavo, antiquissimæ Hennenbergensis familiæ, ex
 veteribus Salicis Regibus & Ducibus oriundæ, Pop-
 ponis XII. filio omnium jucundissimè vixerit. Quo-
 modo verò? Incredibilem amorem & gratiam, per
 omnes gratias quæso cognoscite tanta cum illis tri-
 bus illustrissimis adolescentibus inita familiaritas
 ac concordia, ut duobus prioribus binas suas sore-
 res in

res in matrimonium collocandas princeps Johannes
 sponderit, easque postea iisdem nuptum dederit,
 & sibi vicissim ab Henrico Comite Lurgardin foro-
 rem promissam, cum ex Gallia per mediam Germa-
 niam studiis absolutis domum ad gubernationem
 patrii Ducatus contendisset, & in itinere ad Henne-
 bergicum commilitonem suum divertisset, illustris-
 simam virginem ex monasterio Wesseraviensi, feli-
 cissimi consortem conjugii, ex qua postmodò quinque
 illustrissimi Principes nati, auspiciatissimè duxerit.
 Dignissimum omnium ætatum memoria suavissimè
 in literis & studiis vitæ, Academicæque conversatio-
 nis & fraternæ conjunctionis monumentum, cui ne-
 que veteres illæ de Damonis & Pythiæ, de Pyladis &
 Orestis amicitiiis, anteferri recordationes possunt.
 Nolite verò existimare illos viginti studiorum an-
 nos, nostri seculi more, inutiliter illustrissimo illi a-
 dolescenti aleis & cyathis transmissos, aut in ephip-
 piis magis, quàm in Musarum hemyciclis consum-
 ptos, cujus eò omnes labores & diligentissimæ lucu-
 brationes ibant, eò omnis studii atq; animi conten-
 tio spectabat, ut nō ante ad dulcissimos patriæ lares,
 ad opes & fortunas avitas, ad felicissimæ ditionis gu-
 bernacula domum reverteretur, quàm exacto glorio-
 sè studiorum curriculo, sanctissimæ Theologiæ no-
 men suum consecrasset, Doctorisq; titulum meritâ
 cum laude retulisset. Quod certè felicissimè ex animi
 sententia ipsi contigit. Illustrissimus enim Princeps
 Theologiæ Doctor in Academia Parisiensi publicè re-
 nunciatus, domum gloriosissimè rediit, patriam lau-
 datissimè rexit: susceptaq; deinde contra Livones ex-
 peditione, dux fortissimus hostes vicit, victos Doctor
 sanctissimus ad fidem Christianam convertit. Am-
 plectimini mecum, clarissimi Theologi, in illustrissi-

mo sanguine antiquissimum divinæ vestrae scientiæ
 titulum. Non alios complures id ætatis exemplum
 hoc secutos esse, nemo mihi persuaserit, celebri-
 orem tamen nullum fuisse, Alberto, quem ab ingenii
 magnitudine Magnum appellarunt, mecum omnes
 facile statuetis. Natus ille generosis parentibus, ex
 familiâ antiquissimâ de Bolstadt in Suevia, non pro-
 cul ab urbe Lavingensi, Varro Germanorum, imò &
 Catone & Varrone, quorum alterum omnium bona-
 rum artium magistrum Plinius nuncupavit, multò
 doctior. Quid enim Aristotelis, quid Platonis inge-
 nium comprehendit? quid acumen Carneadis exco-
 gitavit, quod ille non superaverit? quam arcanissi-
 mam Philosophiæ partem non excussit? hic certè o-
 mnium primus ostendit, quò Germani ingenii ala e-
 niti studio & industria possit: ducentos & viginti li-
 bros scripsit: in omnibus ferè monasteriis Germaniæ
 docuit, Lutetiam & Paduam admiratione sui com-
 plevit: Vir generosissimæ nobilitatis Academicum
 Doctoris titulum Parisiis assumpsit; Thomæ Aquina-
 natis, quem Doctorum omnium Doctorem & Magi-
 strum totius orbis appellant, Germanus hic noster
 Magister & præceptor exstitit. Dignissimus profectò
 generosissima nobilitate Theologici tituli gradus!
 Quid enim & superiorem tam illustris ac regii san-
 guinis Ducem ac Principem Johannem? quid gene-
 rosissimum hunc Albertum (idem & princeps & E-
 piscopus Ratisbonensis fuit) quid nobilissimum vi-
 rum magis exornare ac illustrare potuit, quàm divi-
 nissimi studii ornamentum, ac cœlestis scientiæ glo-
 ria? si enim ii, quibus Imperatorum ac Principum
 celsissimorum consilia & legationes illustres com-
 mittuntur, per tanti muneris ac officii dignitatem,
 nobilissimi habeantur, quid de divinorum mysterio-
 rum scientia, de nobilitate & excellentiâ studii divi-
 ni, de

ni, de dignitate divinæ legationis judicemus? Celebrant itaque non immeritò annales Principem & Episcopum Meisnensem, Theologiæ Doctorem, & Albertum alterum, nobilissima familia de Molschen oriundum, qui circa An. 1258. totâ Saxonia floruit. Celebrant Echstedensis Ecclesiæ monumenta vetera, nobilissimum Episcopum Philippum de Rathmanshausen, divinissimæ itidem scientiæ Doctorem. Celebrant eorundem temporum consignatores, Henricum de Clingenberg, Decretalium Doctorem, nobilissimum virum, & rerum politicarum, studiūq; historici peritissimum, quem eruditionis ac ingenii fama Imperatoris Rudolphi I. Cancellarium constituit. Extant illius industria conscripta Chronica familiæ Habsburgicæ, memoria perenni dignissima. Sed ne præteream, quem singulari studio notavit Aventinus lib. 8. Annal. Bavar. Leopoldum de Bebenburg, nobilissimum Francum, Principem & Episcopum Papebergensem. Quis ille? Primus Germanorum U. J. Doctor ab historico gravissimo appellatur, qui cum nondum Viennensis Academia, omnium Germanicarum prima, reliquarumque mater, ab Alberto & Rudolpho fratribus, Austriæ ducibus, anno 1356. instituta esset, non solum glorioso Doctoris titulo, sed etiam doctrinæ monumentis, multorumq; insignium librorū scriptioibus clarissimus illuxit. Scripsit enim de juribus Imp. Rom. scripsit de translatione imp. scripsit de zelo Christianæ Relig. Veterum princip. Germ. qui postremus liber Rudolpho Electori Saxonie, ex illustrissima & antiquissima Ascaniæ domo oriundo dedicatus. Fuit hic primus J. U. in Germania Doctor, ut antiquissimæ, ita longè opulentissimæ familiæ, cujus majores ditissimum & florentissimum Schonthalense monasterium in Orthonio saltu ædificarunt. Attendite Germaniæ Doctores,

ctores, exemplumque primum dignitatis vestrae nobilissimum cognoscite: sed longè illustrius, nulloque modo cum omnibus istis nominibus, quæ hæcenus audistis, conferendum, exemplum Magistri, Magistri percipite. Literarum ac artium verè quasi quoddam novum, Caroli Quarti, summi Musarum patroni, imperio effloruerat, cum à Gymnasii Viennensis inchoatione quadriennio post, splendidissimis auspiciis, Pragensis Academia in vicino Bohemiarum regno excitaretur, ad quam non tam novitatis celebritate, quam incredibili regis Caroli erga literas provehendas beneficentia, tum Regum, tum Principum, tum plurium ex Germania primatum nobilissimorum liberi illecti, copiosissimo agmine, tanquam ab uberrimum virtutis & eruditionis omnis emporium confluebant. Contendit eodem ex hac florentissima Imperii Provincia Hassia, Princeps Hermannus, Ludovici principis Hassiæ filius, qui, cum tam incredibili disciplinarum amore, ac cupiditate studiorum flagraret, ut, secundum Alexandri Magni sententiam, ad Aristotelem regio animo exarata, mallet omni regno & gubernatione imperii, quam scientiam literarum carere, certissimo sibi animo proposuit ad summa fastigia eruditionis, qua nihil viro principe dignius esse intelligebat, omnibus velis & remis felicissimi ingenii aspirare. Invitabat vehementissimè ad literas natam heroicæ naturæ indolem, inter alia tum domestica, tum externa celsissimæ virtutis exempla, Imperatoris Caroli majestas, quem in subselliis magistrorum sedentem multoties videbat, cum doctoribus publicè differentem audiebat; de rebus naturalibus, de divinis, de civilibus studiis facundè & peritè disputantem obstupebat. Quid sit? cum non minùs honestum ac decorum principum liberis esse, eruditionis ac virtutis rogare digni-

digni-

dignitates, quàm militaris ordinis insignia, & aurati equitis calcaria induere, rectissimè iudicaret, progressus suorum non modò publicis testimoniis, doctorumq; amplissimis suffragiis comprobari, verùm etiam publico eruditionis titulo, gradu & nomine insigniri voluit. Vidit itaque principem illustrissimum, ex Imperatorum, antiquissimorumque regum sanguine natum, Academia Pragensis summa cum voluptate, maximaque tum Cæsaris, tum universi regni congratulatione & applausu, Magistrum solenniter creari. Vidit universa Bohemia divæ Elisabethæ, Rege Ungariæ Andrea potentissimo & victoriosissimo natæ, atnepotem, ataviti ingenii & spiritus adolescentem, divinæ philosophiæ coronis & titulis, togatæ virtutis præstantissimum heroëm condecorari. Quid verò? Magistrum principem divina felicitas admirabili rerum omnium successu complexa est, aded, ut paucis inde ab annis totius principatus Hassiaci legitimus heres, successorque fuerit, cœlestis numinis singulari provisu, solus constitutus. Felicissimum & styli & pili heroëm! quæ duo se non potuisse conjungere Sfortia dicere solitus erat; Felicissimum non modò literarum, sed etiam armorum gloria, omnium hostium victorem! Quis enim tam ignarus rerum nostrarum, qui nesciat bellicosissimi Principis Hermanni Magistri laureas, triumphos, & fortunatissima prælia? quis non audivit tria millia in exercitu plurimorum Comitum & equitum nobilium, qui sese inimicissimæ conspirationis fœdere colligarant, fortissimè fusa, superata, deleta? quis ex nostris annalibus cædes & strages ad Lanum, ad Adernam, ad Visurgim factas? quis accervos cadaverum non cognovit? Vide, quæso, quid artes cum Marte conjunctæ efficiant: vide, quid Palladis clypeus in præliis valeat. Sed hoc unicum

Illustrissimi ingenii exemplum, longissimam non
 modò orationem, sed ingentem Iliadem postularet.
 De quo quidem exemplo illustrissimus princeps Au-
 gustus junior, Brunsvicensium & Luneburgensium
 Dux, in publicè edita oratione, quam in Academia
 Tubantum, cum Rectoris purpura indutus esset, an-
 nis abhinc decem habuisse prædicatur, honorificen-
 tissimè recordatus, cælo usq; præclarissimum vetu-
 statis testimonium extulit, quòd potentissimi Ger-
 maniaë principes non modò principatibus suis florè-
 tissimis, verùm etiam sibi ipsi & literas & literatos
 viros præferre voluerint. Atque idem conversa ad pa-
 tres Academiae, cunctosque professores clarissima
 voce, antiqua ista laudatissimi principis Hermanni
 similiaque exempla debere omnibus hominibus
 literatis, ac eruditionis dignitate insignitis, ipso aë-
 re, aqua & igni antiquiora ac potiora esse prudentis-
 simè judicavit. Video oculos & ora vestra, Candida-
 ti, dum hæc loquor, admiratione & stupore quodam
 occupari. Ipsi fortè Magistrum tantum principem
 vix creditis? sed ut facilius credatis, plura exempla
 neque minora vobis proferam. Cattorum principem
 Hermannum imitatus illustrissimus Dux Lotharin-
 giæ Richvinus. Quid verò ille? Magisterii venerandi
 gradum, nomen & titulum princeps idem assumpsit.
 Testantur illud Argentoratensium Episcoporum An-
 nales, quorum in numero trigésimus septimus magi-
 ster Richvinus memoratur. At hîc si urbium Rheni
 coronam Argentinam, quæ, quemadmodum de
 Massilia veteri Romani prædicasse scribuntur, om-
 nis bonæ disciplinae magistra, neque minus armo-
 rum, quàm artium instructissima officina habetur,
 interrogemus, plusne oblectamenti, plus decoris ex
 antistitis illustrissimi gemmis auroque insignita in-
 fula, atque regali ejusdem lituo, quàm ex divinæ phi-
 loso-

losophiæ flore, quo eundem indutum videbat, perce-
 perit? Quid summa prudentia & iudicio rem publi-
 cam responsuram, nobis esse arbitremur? Nihil pro-
 fectò aliud, quàm quod præclarissima Mytilenorum
 civitas, consilio Attici oratoris, persuasissimum sibi
 habuit, in rerump. administratione nihil literarum
 & artium cognitione sublimius, nihil viris erudi-
 tis præstantius, nihil ingenii ornamentis honora-
 tius, nihil divinius haberi posse: & quod sapientissi-
 mum imp. Sigismundum gravissimè iudicasse ferunt,
 quòd videlicet principes nascantur, quòd creentur,
 illud ad fortunam, ad casum & arbitrium, quòd autè
 doctores & magistri fiant, illud ad solam virtutem &
 animi divinitatem referti. Quod certè perspexisse il-
 lustr. Ducum Geldriæ domus, ex hujus rei perquam
 memorabili exēplo cognoscitur. At quod illud? Duo
 in provincia superioribus seculis fratres germani, Ar-
 noldus & Wilhelmus, Egmondanæ familiæ Duces,
 avitam gubernationem tenuerunt, quorū natu ma-
 jor, cùm doctrinarum admiratione apud potentissi-
 mos quosque reges, ipsumque pontificem Paulum
 secundum in maxima existimatione haberetur; Wil-
 helmus, cùm se ob ruditatem ac inscitiam artium
 fratri postponi animadverteret, tanto rubore affe-
 ctus esse scribitur, ut Lutetiā missos suos liberos non
 ante reverti domum voluerit, quàm publicis Acade-
 miæ testimoniis & insignibus graduum acceptis, Ma-
 gistri artium ibidem declarati essent, ne quod patri
 acciderat, idem filiis eveniret, quemadmodum illud
 Hadamarius *lib. de inst. princip.* memoriæ proditum
 reliquit pulcherrimum rectissimi consilii ac iudicii
 exemplum: cujus intuitu & admiratione ne satiari
 quidem ingenuus animus unquam potest. Quid ve-
 rò, ornatissimi magistri, vobis honorificentius, quid
 commendatius recitari, quid stimulos & faces in vo-
 bis

bis majores excitare queat, quàm tot illustrissimi sanguinis, potentissimæque hæreditatis principes, antiquissimos à majoribus acceptos titulos, splendidissimas dignitates ac nomina, literarum & artium gloriæ submisisse, laureas scholasticas studiosissimè quæsisse, gradus Academicos petiisse, supremamque nominis immortalis laudem in studiorum insignibus reposuisse? Plus etenim profectò, plus veræ laudis & gloriæ, exemplo proprio, cognoscebat Geldricus ille, quem audistis, pater, in ornamentis immortalibus animi, ac in solidæ eruditionis, qua sese carere vehementer dolebat, nomine, quàm in longissima majorum serie, cujus ab Ottone illustrissimo Nassoviæ Comite, per tot bellicosissimos duces Reinholdos, gloriosissimè deductæ, commendationem habebat, collocatum esse. Sed & illud ipsum majorum ætatibus ante prudentissimè senserat, Illustrissimus Hassiæ & Thuringiæ princeps Ludovicus 4. Landgravius, qui Imperatoris Conradi 3. gener, ac Henrici Brabantini ducis, Hassiæ Landgravii, à quo illustrissima stirps hodierna Cattorum principum descendit, ab avus fuit. Quid autem ille? Extat etiamnum ejus ad regem Franciæ Ludovicum scripta latinè epistola, qua sese omnes velle suos filios, affirmat literarum scientia imbui, ac studiis liberalioribus excoli, atque in iis, si quis feliciore ingenio & capto fuerit, perseverare, misitque regis favori commédatos ea de causa majores natu duos Lutetiam, ut quàm diligentissimè bonis artibus principe dignissimis operam navarent. Intellexit videlicet bellicosissimus princeps (ille quippe est, qui, ut quantum, si velit, malo vicino, virtus & potentia armorum nocere posset, Archiepiscopo Moguntino significaret, Erphurdia mœnia, si fidem fastis Thuringicis adhibeamus, una nocte destruxit) intellexit,

tellexit, inquam, verissimum esse, quod Vegetius rei
 militaris magister gravissimè prodidit: *Neminem plu-*
ra, quàm principem scire oportere. Quod cum seriùs ani-
 mo perpendisset Ludovicus Hassiæ princeps, qui ob
 singularem mansuetudinem Mitis cognominatus
 fuit, superioris principis Hermanni doctissimi fi-
 lius, ideò oblatum imperii sceptrum, Aquilæque al-
 titudinem, Sylvio teste, repudiasse dicitur, quòd
 cum à literis nudus esset, commodè reipublicæ Chri-
 stianæ gubernaculo præesse sese non posse, censeret.
 Quid, Deum immortalem, audimus? Ergo, si opti-
 mus ille princeps paternam scientiam cum hæredi-
 tate complexus esset, fortè Jovis ales etiam num-
 nidum suum sub Leonis Hassiaci fortissimo præsidio
 haberet. Sed reliqua ætatum spacia percurramus:
 Occurrit nobis illico ex illustri familia Comitum
 Hohenbergensium princeps Albertus, qui eruditio-
 ne singulari celeberrimus, Doctorque, Herbipolita-
 nam infulam ingenii raritate consecutus, Franciæ
 Orientalis ducatum, insignemque stola & gladio Ec-
 clesiæ, felicissimè gubernavit. Occurrit ex gene-
 rosissima vestra familia, illustres domini Barones,
 quorum præsentia hujus nostri auditorii frequentia
 plurimùm illustratur, Benedictus de Walstein, qui
 in Pragensi Academia Magistri titulum, præsentibus
 Ducibus aliquot Bavariæ, gloriosissimè assumpsit.
 Occurrit in ejusdem evi tramite Ludobertus de Wen-
 den, quem VVestphalia universa Doctorem admira-
 ta, principem & Episcopum Osnabruga anno 1352.
 contemplata. Inclaruit iisdè temporibus Dithericus
 de Niem, S. Theol. & Decretalium Magister, nobilif-
 simus historiarum scriptor, princeps & Episcopus
 Verdenis, cujus coætaneù Dithericù de Goëch, Ma-
 gistrum Medicinæ, principem & Episcopum Misnen-
 sem, vobis clarissimi medicinæ Doctores, notissimù
 esse ar-

esse arbitramur. Adoleverant interea in Germaniâ
 Academiae Heidelbergensis, Coloniensis, & Erphor-
 diana, fatali quadam felicitate uno eodemque anno
 1387. excitatæ. Creverunt inde Magistrorum, Docto-
 rumque per Germaniam tituli, creverunt nomina &
 dignitates in familiis nobilissimis. Optarem ipse se-
 culo vocẽ dari posse: Deum immortalẽ, quot centu-
 rias nobilissimorum virorum à quadringentesimo ad
 quingentesimum annum numerari posse arbitrami-
 ni? Audiretis Sebastianum de Hornheim J. U. D. no-
 bilissimũ: Audiretis Uldaricum de Albach, nobilem
 Westphalum, Doctorem Decretalium, comitis Hen-
 rici Hojenfis in Episcopatu consequendo Verdensi
 competitorẽ: audiretis Johannem de Wallerodt,
 nobilissimæ ad hunc usque diem familiæ, principem
 & Episcopum tum Rigensem, tum Ultrajectinum,
 J. U. D. cujus lepidissima apophthegmata notitiã ce-
 lebri etiamnum circumferuntur. Nominaretur Pe-
 trus de Haubwitz, nobilitatis celeberrimæ, Decreta-
 lium Licentiatus, princeps & Episcopus Cittiensis
 ac Naumburgensis; Nominaretur illius Antecessor,
 Johannes de Schleinitz, celeberrimus Decretalium
 Doctor. Ejusdem gradus nuncuparetur Johannes
 de Asell. princeps & Episcopus Verdensis, qui vete-
 rum literis magnæ scientiæ vir prædicatur, quo ne-
 minem tum studiosiorem tum feliciorem Alchymisti-
 carum inventionum fuisse perhibent. Licentiatus
 non omitteretur U. J. Fridericus de Parsberg, prin-
 ceps & Episcopus Ratisbonensis. Laudaretur Theo-
 log. Doctor & Cancellarius Alberti Imperatoris, Jo-
 annes de Eich, Eichstadenfis Episcopus, quem aurẽã
 Germaniæ columnam Sylvii literatissimi pontifi-
 cum epistolę prædicarunt. Nec verò ultimo loco po-
 nendus nobilissimus artium Bacularius Gerardus de
 Blintheim, Ulmensiũ celeberrimus Præpositus. Sed
 & cam

& eam ætatem ornarunt plurimum Ulricus de Rechenberg, nobiliss. J. D. Fridericus à Blanckenfels, Episcopus Ratisb. Doctor Decretal. & insigne seculi lumen, decusque Westphaliæ, Arnoldus de Westphal, Decretalium Doctor, & civilis juris Licentiatus, nobilissimæ, omnibusque notissimæ in his oris familiæ, quem non modò in plurimis Academiis studuisse, verùm etiam publicè leges civiles docuisse accepimus, quemque eruditionis gloria ad Episcopalem Lubecensis Ecclesiæ dignitatem evehit. Celeberrimè præterea fuerunt Melchior à Stamheim, nobilissimus juris Doctor & consiliarius Ducum Bavariæ, Diethericus à Buxdorff, ordinarius in Academia Lipsensi Juris professor, cujus Repertorium in Speculũ Saxonicum, nemini Juris candidatorum puto incognitum, qui ex professorio ordine ad Cittensem, & Naumburgensem Episcopatum emerfit. Habetis ex illo seculo vestri nominis singulare decus, ornatissimi Magistri, Johannem de Schonberg, Episcopum Misnensem, nobilissimum philosophiæ Magistrum: habetis, Licentiati, Bertholdum de Landsberg: habent Theologi Vincentium à Molsdorff, quem omnes Italiæ Cathedræ docentem admiratæ; habetis, Jurisperiti, Johannem de Breittenbach, Juris consultum celeberrimũ, & Lipsensis Academiæ ordinariũ. Nolim hîc præteriri Johannem Nauclerum, historicorum antesignanũ, quem nobilissimæ & antiquissimæ familiæ virũ prædicat gravissimus testis Reuchlinus in ejusd. Chron. præfat. J. U. Doctorem, & Cancellarium Academiæ Tubing. Eberhardo Duci Wirtembergico dilectissimum, & inter familiares familiarissimum; teste Philippo *in Orat. de vit. Eberard.* Nolim omitti Cunradum Peutingerum, ex antiquissima Suevicæ nobilitatis claritudine ortum J. U. D. triumque Imp. Friderici III. Maximil. I. & Caroli

Quintæ

Quinti Consiliarium intimum, nec non Oratorem
 & Historicum celeberrimum, cujus sermones convi-
 vales de mirandis Germaniæ antiquit. circumferun-
 tur, deq; gentium migrationibus eruditissimæ lucu-
 brationes leguntur. Nolim sileri nobilissimæ stirpis
 Christophorum ab Hagen in Hadmarsleben, J. U. D.
 & equitem auratum clarissimæ celebritatis, qui avi-
 tas opes & gloriam majorum virtutis & doctrinæ ad-
 jumento summo perè amplificavit. Transeam verò
 Phænicem ætatis suæ dictum Georgium ab Andelo,
 primum Basiliensis Acad. Rectorem nobilissimum,
 teste Urstisio, jurisq; Canonici Doctorem? Transeam
 nobilissimum Georgium à Gemmingen, U. J. Doct.
 & Spirensis Ecclesiæ primarium, quem Philosophum
 celebrè, Oratorem facundum, poëtam gravem, & sin-
 gulate studiorum præsidium appellarunt. Summum
 mihi ætatis quingentesimæ fastigium superest: quis
 ille? Joannes à Dalburg, Rudolphi Agricolæ discipu-
 lus, juris Doctor & Professor Heidelberg. ex profes-
 sore Episcopus Vormatiensis creatus, cujus facun-
 diam Latinam Pontificis Innocentii octavi consisto-
 rium obstupuit, gravitatem & eloquentiam Rex Lu-
 dovicus Galliæ cum universa curia Parisiensi admi-
 rari satis & de prædicare non potuit. Extant illius
 carminum libri: extant epistolarum & orationum
 volumina: extat de morte Rudolphi præceptoris pa-
 negyricon: extat Germanicorum vocabulorum ex
 Græcis originibus derivatorum bis mille collectio,
 cujus nobilissimi professoris & principis eruditissi-
 mi obitus, in annum millesimū quingentesimū ter-
 tium incidit. Aggrediar cursum subsequentis seculi,
 in quo omnes qui in hoc circo versamur, in lucem e-
 diti? Vereor, ne patientia vestra, auditores nobilissi-
 mi, abutar: Sinite me, quæso, quàm brevissimè ea,
 quæ supersunt, delibare, omnium catalogum non
 insti-

institutam, quis enim possit, qui Homericorum mili-
 tum numerum longè excedat? Ex infinita propemo-
 dum multitudine vix tertiam partem eorum attin-
 gā, qui celebritatis majoris fama feruntur, quorum
 nomina partim ex avis vestris, partim ex parentibus
 ipsi fortasse cognovistis. Quis enim Urielem Electro-
 rem Moguntinum, ut ab illo postremi seculi laudem
 auspicer, non audivit? quis nobilissimum virum ex
 familia de Gemmingen ortum, J. U. Doctorem non
 accepit? Quis eloquentissimum Phanicem, quo no-
 mine ille appellatus, Florentium à Vennigen, Docto-
 rem & Professore Heidelbergensem? Quis Sigif-
 mundum Pflugium, Saxoniae Ducis Alberti Cancel-
 larium, Doctorem non percepit? Quis Augustanum
 Episcopum, Christophorum de Stadion, & erudito-
 rum literis & genere nobilem, nobiliorem eruditione,
 nobilissimum virtute J. Doctorem non cogno-
 vit? Vidit Augusta antiquissimam familiam de Lich-
 tenau, in Henrico Episcopo, Doctore juris, honorifi-
 centissimè terminari. Vobis, ornatissimi Candidati,
 ne me cepisse oblivionem vestri existimetis, jucun-
 dissimæ recordationis gratiā nomino nobilissimum
 Uldaricum ab Hutten, Equitem Francum, qui anno
 1506. inter eos, qui omnium primi primum promoti-
 onis Actum in recente Academia Francofurtensi, ur-
 bis patriæ tuæ, candidate Carole Sachse, ad Oderam,
 celebrarunt, honorem Magisterii suscepit, equesque
 postea auratus factus, lauream poëticam à Maximi-
 liano Imperatore impetravit. Nomino vobis Johan-
 nem ab Egloffstein, Magistrum artium, Bacularium
 Decretorum, celeberrimæ famæ Abbatē Speinsbar-
 densem: nomino Diethericum à Dalburg, & Nicolaū
 à Carlwitz, Episcopum Misnensem, utrumque Magi-
 stros promotos philosophiæ eruditissimos. Vobis ve-
 rō, clariss. juris antecessores, in memoriam revoco,
 illu-

illustrissimum Electorem Moguntinum, Sebastianū
 ab Heusenstam, generosa nobilitate natum. Revoco
 ex imperialium Reccessuum mentione, Sebastianum
 de Rotenhan, alterum Germaniæ Ulysses, quem ex
 Beroaldi commendatione, quæ in præfatione Gellii
 legitur, summo ingenio & eruditione Doctorem co-
 gnoscimus. Recordemini mecum ex nostra Hafsia
 Sebastianum ab Harstall, consultissimum Decreta-
 lium Doctorem. Recordemini Georgium de Boine-
 burg, & Equitem Auratum, & Doctore insignem. Re-
 colatis dignissimum perpetua memoria Ludovicum
 Schwerzel, in VVillingshausen, cujus nobilissimi
 nepotes Hafsiam nostram, veluti florentissima vir-
 tutis avitæ germina summoperè exornant. Quis e-
 nim nostrum nobilissimum virum Johannem Sver-
 zelium, literata prudentia, rerumq; maximarum ex-
 perientia exteris etiam celebratissimum ignorat?
 Habuit præterea Hafsia nobilissimum Doctorem &
 Cancellarium Gerardum de Gunderodt. Vidit hæc
 civitas nobilissimum virum juris Licentiatum, quo
 titulo monumentum ejus in Parochiali æde habetur
 inscriptum, Johannem Keudelum, strenuum hujus
 loci principem, singularem parentis olim mei
 fautorem & amicum. Viderunt patres nostri ejusdem
 tituli Hermannum de Amelunxen. Viderunt J. U.
 Doctorem Georgium Ottonem de Schwalbach, no-
 bilissimæ ejus familiæ, quæ nunc Ecclesiæ Fuldenfi
 Principem & præfulem, Reverendissimum Johannē
 Fridericum, summæ virtutis heroem dedit. Sexcen-
 tos alios ex Academiis, si eas compellare tempus fer-
 ret, prolatos audiretis. VViteberga daret Johannem
 Straubitium, cujus consiliis schola ibidem primum
 instituta, Theologiæ Doctorem, qui Lutherum & in
 Academiam, & in concionandi functionem Cathe-
 dramque Ecclesiasticam primus deduxit: daret Ni-
 colaum

colaum ab Amsdorff, qui quartum promotionis actū, titulo Magisterii accepto, anno millesimo quingentesimo quarto illustravit, paucis post annis Licentiatus Theologiæ ibidem creatus: daret eadem Hieronymum Vellerum de Molsdorff: daret Georgium Venerum, nobilem Borussum: daret Erasmum de Minckwitz, Rectorem quondā Paravinum, J. U. D. & Electoris Saxoniae Cancellarium. Sed & esse in hoc coetu claris viros existimo, qui Joachimum de Beust, J. C. & Theologum celeberrimum viderint, qui Vvesembecium nobilissimum Licentiatum I. & Professore verticem Jctorum Germaniæ audierint: Nobilissimū Mynsingerum de Frondeck, familiari notitia complexum habuerint. Et quid de hac nostra cathedra dicam? illa perorantem cum summa admiratione audivit nobilissimum virum Hermannum Buschium, Academiae hujus Profess. historiarum & poëseos omnium primum: audivit Johannem de Waldmanshausen, Doctorem Theologiæ, nobilitatis celeberrimæ. Sed & in hoc ipso suggesto nobilissimi juvenes Leschii, Selbachii, Mandesloi, Baccalaurei & magistri promoti. Possem vobis etiamnum superstites illustres Principes in Episcopatibus, possem in Electorum & Principum palatiis, in consiliis, in curiis verè magnificos viros nominare, qui generis sui antiquitatem, nobilitatisq; gloriam eruditionis præmio quàm honorificentissimè cōdecorarint. Possem, quod ævo Justiniano tanquam naturæ miraculum habitum, & inter res æterna fastorum memoria dignas à Procopio annotatum, trium fratrum Doctorum laureas, apices ac ingenii titulos cum antiquissimæ familiæ gloria conjunctos ostendere, tuamque, magnifice Cancellarie Eberharde de Weihe, claritudinem aliis imitandam proponere, nisi majorum duntaxat eorum, qui ex oculis nostris abierunt,

revocatam in memoriam. hoc loco exempla vellem.
 Quos certè si è bustis & tumulis suis excitem: si manes
 illorum in arces & castella, in domos & familias ne-
 potum reducam: si veteres eorum bibliothecas dissi-
 paras, libros & volumina discerpta, blattis & tineis
 corrupta ostendam: si literarum & artium contem-
 ptum, si sermones & sententias tam sinistras opinio-
 nes de dignitate studiorum ex minoribus percipiant,
 quid illos nõnne hæc dicturos existimeris? Easne di-
 gnitates & gradus posteritas nostra, si posteritas di-
 cendi, qui ab avitis studiis & virtutibus defecistis, ea
 ornamēta nobilitatē dedecere falsò vobis persuade-
 bitis, quæ claritudinē nominis antiqui, auctoritatē-
 que omnem familiis nostris pepererunt? eosne titu-
 los & honores contemnetis, qui nos ad altissima Ele-
 ctoralis imperii fastigia evexerunt, ad celsissima Epi-
 scopatum culmina sustulerunt, in regum & princi-
 pum curias & consilia extulerunt, fortunis & opibus
 domos nostras auxerunt, agros & villas amplifica-
 runt, principum gratiam & benevolentiam nobis
 conciliarunt, & quod omnium maximum est, æternā
 nominis commendationem conservarunt? Quid ve-
 rò clarius prædicari, quid verius dici possit? Intelligi-
 tis à nobilissimis viris ætatum superiorum honores
 & titulos eruditionis tanquam hæreditariam posses-
 sionem, & aviti nominis gloriam tum studiosissimè
 quæsitos tum propemodum in nobilissimis penati-
 bus unicè retentos ac conservatos. Nec enim tenuio-
 ris loci ac fortunæ homines ad istas dignitates, sum-
 ptuum magnitudine, qui promotionum actibus im-
 pendebantur, deterriti, aspirare & eniti audebant.
 Unde factum, ut id ætatis in civitatibus & oppidis
 Doctoralis nominis maxima raritas existeret, quem-
 admodum incomparabilis ingenii & eruditionis Me-
 lanchthon ad Camerarium scripta Epistola testatur,
 Docto-

Doctorem tam difficile inventu in Saxoniciis oris fuisse, quàm rari olim inter Britannos veteres Romani juris periti fuerint, ut jocus Tullii ad Trebatium ea de re notus est. Idque ex Clementis Quinti Pontificis Constitutione de immoderatis impendis promotionum vehementissimè conquerentis, intellectu proclive est, qui ratione ista motus, ne cæteri, qui vel nolint, vel nequeant, (ut verba constitutionis sunt) similes impensas subire, hac occasione frequenter à receptione honoris retraherentur, constituto certo tolerabilium impensarum modo, ad tria millia argenteorum Turonensium summam redigit. Ea verò expensarum immodica profusio unde? Ex opulentæ nobilitatis ambitiosis certaminibus. Illi siquidem apicem & dignitatis literatæ tanquam gemmam ac unionem nullo precio relinquendum judicabant, eoque pretiosorem esse eruditionis gradum æstimabant, si ille nobilitati generis, tanquam adamas Ophyreo aut Arabico auro, infereretur. At hoc tam præclaro erga literas, earumque honores ac dignitates animo, tamque recto de iisdem judicio, qui inter Europæas insulas, cunctis tum fortunæ, tum ingenii bonis florentissimi habentur, etiamnum Anglos esse, vel ex eo nobis maximè perspicuum fieri potest, quòd ab hinc decennio, in legatione ab illustrissimo nostro Principe & Domino clementissimo Mauritio, divinissimo studiorum & literarum patrono, ad serenissimam reginam augustæ & æternæ memoriæ Elisabetham missa, honorificentissimè excipienda declarasse perhibentur. Quid verò illud? Factum profectò literarum memoria dignissimum, quod literarum dignitati & Doctorum gradui gloriosissimum, ac ut universæ nostræ provinciæ honorificum, ita cognitu jucundissimum omnibus meritò esse debet. Missus erat, ut nemini

vestrum ignotum esse arbitror, ex nobilitate Hassiæ præcipua Georgius de Meisenbuch, vir tum multarum linguarum cognitione, tum optimarum artium scientia, maximaque rerum civilium & aulicarum prudentia instructissimus, atque ob eam causam illustrissimo nostro Principi longè dilectissimus. Qui cum sibi impositum legationis munus summa cum admiratione in aula Anglorum obiisset, inter alia regiae munificentiae præmia ac honores, quos illustrissimi nostri principis nobilissimo legato exteri exhibebant, exhibitam etiam doctoralis dignitatis infulam voluerunt, qua nihil regni sui moribus dari amplius, nihil præclarior tribui, nihil magnificentius maximorum regum & principum legatis donari solere, gravissimè prædicarunt. Memini me hujus rei recitationem ex generoso & nobilissimo viro Ottone de Starschedel, illustrissimi nostri principis legato & intimo Consiliario, ac magnifico Hassiæ Præsidente, maximo patrono nostro, summa cum voluptate cognoscere. Rediit felicissimè domum ex Anglia nobilissimus legatus, optimeque peracti muneris præclarissimum testimonium, acceptis inter alia amplissima dona, quæ laurea appellantur, doctoralibus insignibus retulit, cujus immaturum discessum cum illustrissimo nostro principe, cujus nœniæ lugubres de tanti viri obitu adhuc exstant, universa provincia deflevit. Eam autem animi & ingenii nobilitatem verè divinam agnoverunt omnes reges & principes, quotquot communi sensu polluerunt; eamque veluti incomparabilem virtutis thesaurum etiam in humilioris sanguinis hominibus summoperè coluerunt. Quid enim de Sigismundo Imperatore dicam? Tantoperè ille Magistros & Doctores veneratus esse legitur, ut non modò nobilibus, verum etiam illustrioribus in mensarum accubitu, omni que loco honorificè

ficè eos præposuerit. Quid enim, aiebat idem, cum aulicos obmurmurantes rumpi ferè invidia animadverteret, *nónne eos pluris faciam, quos ipsa natura, atque adeò ipse Deus majoris fecit? Deum immortalem! quod luculentius testimonium perhiberi, quid verius exprimi, quid illustrius judicari de eruditionis gloria ejusque nomine & dignitate possit? Vultis similia plura aliorum Imperatorum judicia proferri? Dicam vobis, quo Carolus Quartus amore, quo honore, quo cultu literarum insignibus ornatos persecutus, què cum Doctõribus familiarissimè velut condiscipulum conuersatum accepimus; qui neq; unquam prandere aut cœnare sine illis conspectus. Sed & à latere suo discedere viros eruditos, Henricus Quintus, omnium qui unquam fuerunt, bellatorum bellicosissimus, nunquam est, Hedione teste, passus. Se nullos homines plus amare, nullis majorem charitatem & reverentiam debere, quàm viris doctis, eosque non subesse aliis, sed aliis præesse oportere, dicere sæpenu-mero clarissima voce est solitus Maximilianus primus. Dicam vobis Caroli Quinti exemplum? Incredibile dictu. Quidnam verò? Qui reges potentissimos ceperat, reges regumq; liberos ministros habuerat, cui universus terrarum orbis immortalis gloriæ facem prætulerat, cui superbissimum mundi caput Roma, cervicem submiserat, quem supplice genu tota Africa accesserat: Quid ille? Hedio Juris Doctõri, ut in Oratione funebri Imperatoris legitur, cubitum ituro, vehementissimè illud recusanti, lychnum invito ad cubiculum usq; prætulit, id se officii, inquiring, virtutis & eruditionis nomini cujusq; honori ac venerationi ad omnem posteritatis memoriam præstitisse. Incomparabili exemplo verbum nullum ulterius addam. Vereor enim, ne, quod pinguisimo tritico evenire tradit Columella, cum vermiculi ei-*

dem innascentur; ita feracissimæ huic laudum materia livoris aliqua & invidia tinea adhærescat. Frumento expedire servando admissum Favonium docet Plinius: Nos autem Flatum cœlestem, qui incubitu divino suo, cum nondum Zephyri, nondum Aquilones essent, vegetasse omnia legitur, precibus ardentissimis rogamus, ut florem virtutis & eruditionis in hac nostra Academia, donis suis inexhaustis amplificet, roboret, confirmet, & perennem gratiâ, gloriæ & dignitatis literatæ fontem conserve, cathedram hanc divina principis Philippi fundatione erectam, ex qua, præter hos nunc astantes eruditos tredecim Candidatos, mille viginti octo Magistri promoti, (Doctores & Licentiatos numero collectos nondum omnes habeo) pedamento validissimo fulciat, atque adversus omnes tempestates ventorumq; turbines firmissimè munitam custodiat.

ORATIO IV.

*De eloquentia veterum Germanorum.**Habita Anno 1607.*

HIS neque hujus loci, neque conventus, neque conspectus vestri, neque verbi ex hoc suggestu faciendi aded insolens, infrequensq; sim, nunquam tamen dicendi hæc provincia tam mihi difficilis, tamq; susceptu ardua, atque gravis visa est, quam cum in hoc præsentis oratorii muneris ingressu more ac instituto majorum ad vestrum hunc florentissimum cœtum, nobilitate generis ac ingenii, doctrinæq; cultu commendatissimi adolescentes, inauguralem hanc orationem instituerim. Quæ enim vestrum omnium de hoc negotio expectatio, quæ spes, quod iudicium, qui sensus,

sus, quæ opinio sit, nemini non proclive cognitu & intellectu esse potest. Videor equidem videre hanc animorum vestrorum cogitationem atque hanc sententiam, fore, ut si cui rei unquam pulchrum, & præclarum principium dare studuerim, in hoc novæ professionis meæ exordio, cui me (indignum fateor) Clementissima Illustrissimi Principis ac Domini, Domini ac benefactoris nostri gratia singulari diligentia atque studio excolendæ impofterum præesse voluit, amplissimis eloquentiæ laudibus efferendis, omnes, si quibus valerem, ingenii vires diligentissimè sim adhibiturus, ut neque veterum gentium Perfinitiam Deam, cujus feriæ cum hoc mense Aprili peragerentur, omnium rerum pretiosissimarum splendorem, omnium opum ac divitiarum, thesaurorum omnium, qui in urbe erant, ut Deum Matri præferrentur, ostentationem exhibere solebāt, majore pompa honoreque permitterem celebratam, quam divinam benè dicendi Magistram à studiosissimo sui cultore exornatam videri. Quod etsi facilimum esse cuiusvis etiam non admodum disertis quispiam fortè existimaverit, ut eloquentiæ præconium faceret, in quatuor, & tam illustria laudum argumenta unde quaque prædicanti obviam venirent, illud mihi tamen eò difficilius ac operosius esse videtur, quò & vestram de hoc meo ingressu expectationem majorem, & rei ipsius, de qua dicturus sim, dignitatem perspexerim augustiorem. Quemadmodum enim lapidum pretiosissimum adamantem, non nisi propria scobe expoliri posse ajunt: ita profectò artium & facultatum reginam eloquentiam, nullis aliis, quam suis ipsius ornamentis dignè condecorari, suoque ipsius ore rectè de prædicari posse, etiam illi ipsi, qui Suadæ filii, ob admirationem facundiæ, habiti fuere, gravissimè judicarunt. Maluissimè itaque, si qua honesta ratione

fieri potuisset, hujus orationis studio supersedere, cum vehementer verear, ne expectationi vestrae, ac opinioni præclarissimæ satisfacere possim. Et pervicisset certè hæc mentem meam sententia, nisi tum suscepti officii necessitas, tum laudatissimus hic auspiciandi muneris mos, ac institutum magis magisque animum incitassent, tum verò singularis vestrae toties perspecta benevolentia, amor, ac humanitas majorem mihi dicendi fiduciam obfirmassent. Nolo autem illum de eloquentiæ commendatione, cujus referatissima volumina circumferuntur, spatiosissimū campum ingredi: Nolo de divini studii origine, de ejus florentissima tam in veteribus Græcorum, quàm Romanorum imperiis celebritate: nolo de incredibile ejus fructu, & utilitate: nolo de ejus dignitate, ac altitudine, gloriaque hoc loco differere. Reservabuntur ista collegii nostri exercitationibus, audientur de rebus istis studiosissimæ nostræ pubis institutione ad declamationum spatia contentiones. Mihi verò in hoc oratoriæ meæ provinciæ vestibulo consultissimum visum est, falsissimam veterum opinionem, quæ plurimos detertere, & ab aditu maximè necessariæ hujus disciplinæ, non sine gravissima studiorum jactura, arcere posset, quam potest longissimè ab animis hominum nostrorum amovere atque avellere, illudque in hoc amplissimo conventu dicere, quod maximè ad nos omnes & singulos pertinere, & in quo totius functionis meæ, studiorumque nostrorum fructus & utilitas versari, totiusque Germanicæ nationis dignitas, atque adedè morum ac naturæ nostræ existimatio omnis consistere videatur. Quid verò illud? Quod non modò quorundam exterorum de Germanorum studiis ac moribus sinistrè judicantiū, verum etiam multorum nostratium opinionibus inveterasse animadvertimus, ut falso asserere, sibi que

per-

persuadere nō dubitarint, Germanorum ingenium, et si ex aliis disciplinis ac artificiis venari aliquā præstantiam & gloriam possit, alienæ tamen prorsus indolis & naturæ ab eloquentiæ studiis, dicendique laudibus haberi. Repugnare enim felicitati disertitudinis acquirendæ non modò linguæ Germanicæ naturalem ineptitudinem ac tarditatem, verùm etiam ipsum aërem, cælumque maximoperè eloquentiam hujus nationis impedire: indeque evenisse, ut nihil disertum, nihil eloquens, nihil Atticæ, nihil Tullianæ elegantiae unquam ex hac gente priscis temporibus emanarit. Quid Deum immortalem audio? Unde hæc tam iniqua judicia? Scribere illud superioribus seculis Itolorum, ut haberi voverunt, homines disertissimi: scripsit Antonius Campanus, qui Germaniam turpissimo quodam versu, autor multò turpior, ob eam causam barbaram nominavit: scripsit Poggius, scripsit Sylvius, eosque videtur esse securus Jovius, qui Reuchlinum nostrum, cum trium linguarum fluminibus disertissimum habitum esse negare nequiret, inusitato ingenio fuisse exaravit. Quid ad hæc Germani? Itane est? silebimus, ut hæcenus factum, nostroque silentio opinionem istam apud externos confirmabimus, & studia nostra ipsi damnabimus? naturam & genium nostrum infelicitatis ipsi arguemus? Quid itaque inanem eloquentiæ docendæ, discendæque laborem suscipimus? quid tantis sumptibus ac impendiis scholam oratoriam instruimus? quid frustra declamando ravim excitamus? si invita Minerva arum eloquentiæ Germani colamus? quid operam & oleum perditum imus, si Danaidum aquas, ut Xenophontis verbum est, vano studio hauriamus? Sed ne videamur cum illis Vergilii agricolis nos nostraque ipsi ignorare, sinum agitate naturæ nostræ interiorem excutiamus, sanguinem

nationi nostræ, medicorum consilio, mittamus: quid vitii & defectus sit in eo, inspiciamus. At quomodo? Majorum nostrorum ætates, quoad possumus longissimè memoria repetamus: quæ studia, quæ disciplinæ, quæ ingenia illorum fuerint, diligenter inquiramus. Ad eone verò omni facundia, linguæque laude prisca illa tempora caruerunt, ut, quod de Schytico sermone Græci ludibrio triviali circumtulisse feruntur, nihil salis, nihil floris, nihil gratiæ habuisse videantur? Nec enim cognoscendæ naturæ, ac indolis expeditior ulla, certiorque via haberi poterit, quàm quæ per exemplorum singulorum numerum, ætatumque seriem ad universi generis notitiam deducatur. Etsi autem, quantum ad vetustissima gentis nostræ tempora attinet, negare minimè velimus, primordia, ut omnium aliarum rerum, admodum rudia & jejuna fuisse, majoresque nostros non tam linguæ, quàm manui, non tam verbis, quàm actionibus industriam ac operam navasse, maluisseque, quod omnium beatissimum judicavit gravissimus scriptorum Plinius, res præclaras, dignasque memoria gerere, quàm dicere, aut scribere, ab aliis gesta. Quemadmodum nobilissimorum Francorum nostrorum equitum eloquentissimus Huttenus, veterum Germaniæ hominum mores, & tempora, eò, quòd rerum suarum monumētis tradendarum curam nullam habuerint, his rationibus, quas admodum luculento carmine, de non degere Germania, expressit, excusata dedit; Illi enim haud dubiè idem, quod ignarus omnium literarum bellator fortissimus Sfortia superiori seculo prædicasse de sese legitur, existimarunt, non posse eadem manu feliciter & eloquentissimum stylum, & victoriosissimum pilum administrari; Nihil tamen ex eo evinci, demonstrarique potest, quod naturam ineptitudinis arguat, cœlumque nostrum
elo-

eloquentiæ contrarium ostendat. Eadem siquidem nobiscum principia venustatis sterilia, atque arida etiam eloquentissimæ tum Græcorum, tum Romanorum gentes habuisse animadvertuntur. Quod enim Cornelius de Germanis scripsit, scriptum itidem de Atticis, scriptum de Latinorum incunabulis, literarum scilicet secreta eos ignorâsse. Erubere linguam suorum Aborigineum Quirites, erubere rudilitatem sui Evandri, ejusq; autorem matrem Carmentâ florentioribus temporibus audire. Tacuit à primis Germaniæ fundamentis per aliquot sæcula non modò eloquentiæ, sed etiam omnis ferè scientiæ gloria: quid tum? siluit eadē diutissimo tempore inter Græcos, siluit inter Romanos. Nusquam quidem natura, quemadmodū augustæ memoriæ, Wilhelmus Hassiæ princeps, quem Sapientē jure nominamus, de hujus nostræ provinciæ ingeniis, datis ad hanc Academiam literis, scripsit, nusquam indoles, sed institutio ac studium, & exercitatio defuit: defuit majoribus nostris occasio, & commoditas. Armorum quidē institutiones, bellicæq; rei exactissimè perdiscēdæ, nullibi fetè major, quàm apud majores nostros disciplina, quibus etiam ludicrum erat, inter gladios atque infestas frameas sese nudos spectaculi gratia jactare. Artium verò & eloquentiæ magistri nulli; nullus linguæ cultus; exercitium nullum. Quis itaque tam sinister rerum arbiter, qui, quod temporum infelicitati, ruditatiq; ætatis & studiorum inopiæ assignandum est, illud naturæ defectui, cœliq; ac indolis adversitati imputare velit? Habent, instar hominis, rerum omnium incrementa suam infantiam, habent florem & adolescentiâ, habent deniq; senectutem & obitum. Unde non immeritò insulsissimum ejus judicium irriseris, si quis ideò naturam & indolem loquendi anniculo bimôve puero deesse dixerit, quòd imperfectius alio
fortè

fortè quinquenni, aut septenni verba proferat. Quid enim? annon in Maximiliani primi Imperatoris pueritia accepimus plurimos animi & iudicii falsos, cum elinguem mutumque naturâ regium puerum asseverarent, quòd ferè decennalis nondum fari didicisset. At ille istam ætatis tarditatem mirabili facundiæ felicitate postea compensavit, ut neminem neq; in hoc suo, neque in alio imperio sese eloquentiorem principem id ætatis habuerit: Non minus ad eum modum absurdam, & inconvenientem rationem eorum dixeris, qui, quòd tardius olim in Germania studia exculta, eloquentiæ cura tardius assumpta, tardius scientia investigata, idè naturam ejus loci neque studiis, neque linguæ, neque facundiæ idoneam esse judicarunt. Nullas auri & argenti fodinas longissimis temporibus ad Henrici Aucupis imperium usque in montibus Germaniæ repertas fuisse constat. Quid ergo? An naturam nostris jugis ferendo pretiosiori metallo antiquioribus seculis defuisse dicemus? minimè. Defuit, teste Tacito, solum indagandi studiû, defuit industria, & inquisitio. Mirari itaque satis sagacitatem eorum hominum non possum, qui idè olim contenderint, testante Felice Fabro in historia Suevica, non esse literarum gymnasia, neque Academias, neque eloquentiæ officinas in Germania, tanquam in vervecum patria, constituendas, quòd literarum cultui natura nationis minimè omnium capiendo esset. Vellem profectò è naturæ finibus cum hoc tuo iudicio exterminatus ad inferorum iudicem Æacum fuisses, antequam tam insulsè tamque improbè de incognita natura, & indole nostra judicasses. At perniciosissima ista opinio Reip. nostræ quantum detrimenti, quantum stolidissima ista persuasio impedimenti studiis majorum excitandis attulit. Transacta sine literis felicissima florentissimæ

mæ Germaniæ tempora, in tanta opum ex omnium
 gentium victoriis congestarum abundantia, in tan-
 to Imperialis fortunæ, Romanæque majestatis ad
 fortissimam gentem translata fastigio, elapsi à Ca-
 rolo invictissimo nostro quingenti & quinquaginta
 anni, sine publica artium arce ac sede, sine Academia.
 Sed neque tum quidem, cum primû anno 1356. Vien-
 nense Gymnasium novo instituto in Germania ef-
 floresceret, falsissimè illius opinionis nubes dissipari
 potuit. Nullam enim eloquentiæ institutionem,
 nullam oratoriam cathedram ad Maximiliani primi
 usque imperium Viennæ fuisse, quòd littora, & are-
 nas arari in hoc studio à Germanis existimarent, Æ-
 neas, quem postea fortunæ magnitudo Pium Secun-
 dum fecit, literis suis prodidit. Vide, quid ille anti-
 quis propinatus error, quid incommodi falsissima
 ista persuasio afferat: Creditus noster Rhenus, & Da-
 nubius, creditus Albis eloquentiæ fluminibus nullis
 imbui posse, crediti Germani omnes quarta Luna ad
 hoc studium editi: crediti nullum linguæ suæ faven-
 tem, quem tamè in profana caligine in primis colue-
 rant, habere Mercurium: creditum cœlum & terra
 Germaniæ nihil oris rotundi gignere, nihil Atticæ
 Veneris proferre posse. Atque hæc causa erat, quæ
 Argyropilum Byzantinum in tantam admirationem
 conjecisse legitur, cum Reuchlinû, Palatini Electo-
 ris legatum, avorum nostrorum memoria, trium lin-
 guarum peritissimum, Græcorum Thucydidem ex-
 plicantem, Græcè differentem, Romæ audisset, ut
 maxima voce, tanquam attonitus Germani homi-
 nis eloquentia, exclamarit: Miserrimam Græciam
 suo & cæterorum Græcorum exilio ultra Alpes in
 Germaniam evolâsse. Citius etenim ille existimâset,
 sibi è veteri Scythia Anacharsin aliquem redivivum
 Athenis occursum, quàm hominem Germanum
 Atticò

Attico oreloquentem Romæ auditum iri. At audisti, Argyropile, audisti Germanum. Audiamus verò nos vicissim, quid cælo, quid indoli, quid naturæ nostræ defuisse arbitreris. Intensus fortè nostræ hyemis frigus est? At voces, & verba nondum congelâsse ulla bruma vidimus. Crassiores aërem dicitis? pependisse nullum eo sonum unquam animadvertimus. Sed ne rem tantam non seriò agere videamur, penitus ætatum rationes inquiramus. Nihil facundiæ, nihil eloquentiæ, nihil suavitatis priscam Germaniam habuisse, ne tam temerè sine certiore veritatis investigatione credamus, ne exterorum scriptis, qui non modò invidi, sed etiam inimici, & hostes fortissimi nostri populi fuere, fidem habeamus; Quid enim? An non idem mitioribus nostris evenisse censeamus, quod omnibus ferè gentibus accidisse Josephus clarissima voce prodidit, Romanos dum suos studuerint enixè extollere, studiosè exterorum laudes extenuasse. Quod neque silentio obrutum Herodianus voluit, qui plerosque historicos plus ostentatione eloquentiæ, quàm amore veritatis scripsisse faterur, neq; Polybius id ipsum dissimulare potuit. A Romanis itaque & Italis Germani veteres naturâ indiserti habitî? cur non elingues potiùs, & muti? Muti certè & Romani Germanis, & hi vicissim illis, quod neutri sese vicissim intelligerent. Ideòne verò indiserti, quòd exteram linguâ non tenerent? quòd cum Hortensio causas in foro Romano agere nescirent? pro Rostris perorare non callerent? At ea ratione ipse parens Romanæ facundiæ Cicero indisertus, & ineloquens, non modò Germanis, sed etiam Græcis habendus, quorum Athenas etsi usurpaverat, literas tamen eorû imperfectiùs didicisse etiam illi, què antea nominavi, Byzantino visus est. Indisertus, & ineloquens, imò planè mutus habendus in media Græcia Romano-

mano

manorum legatus Caro, quem sine interprete cum illis, ad quos missus erat, colloqui ne quidem verbum potuisse accepimus. Longissimè itaque animi & sententiæ falsi, qui in unius Latinæ dictionis scientia, omnis eloquentiæ florem laudemque repositam esse existimant. Quid enim si quos illi natura ineptos ad eloquentiæ studium duxerunt, eos natura eloquentissimos in vernacula sua lingua fuisse dixerimus? Prædicat certè vetustas nobis ex antiquissimis Germaniæ regibus, quem longissima ætatum multarum intercapedine ante Latini populi ortum regnasse in his oris legimus, facundissimum Principem Illungum, idque inter alios diligenter gravissimus superiorum scriptorum annotavit Achilles Gassarus: Antiquissima profectò Germanicæ linguæ gloria, quam, antequam Græcæ facundiæ fanum pueri Platonis ori divinæ istæ apes intulisse celebrantur, floruisse intelligimus. An verò nō putabimus veteris illius regiæ facundiæ lumine totam regionem longè lateq; accensam, & ad posteritatis imitationem fructum & florem ejus derivatum? Utinam enim ab interitu revocari nobis illa carmina & rithmi possent nostrorum hominum, quibus optimè de patria meriti reges, & principes, heroësque celebrati, quibus Tuisconem Tacitus refert cælo evectum, Arminium immortalitati consecratum; ausim profectò cum quibusvis linguarum arbitris contendere, non majorē ex Pindaricis odis eloquentiæ naturalis vim, non minorem laudem, quàm ex illis majorum nostrorū cantilenis elucescere. Habet enim vernacula nostra lingua non minorem elegantiae in compositionibus felicitatē, non minorem gratiam quàm Græca; habet in structura & dictionum contextu, locutionumq; luminibus non minorem splendorem, quàm latina, nec minus eloquentes disertique oratores & concionatores

sunt

sunt dicendi nostri sermonis expeditissimo flumine instructi, quàm vel Demosthenes, aut Æschynes propter fori sui linguam in admiratione suorum habiti fuerunt. Habuit Rom. linguæ gloria suum Tullium, sed nec minore cum laude habuit Germania, superiorum ætatum memoria, suæ linguæ, ut appellatus est, Ciceronem, ex serenissimo Electorum Collegio, principem Marchionem Brandeburgicum Joachimum, ejus nominis primum, quem augustissimus Augustæ conventus non aliter, ac curia olim Romana suum Tullium, Nestorea suavitate fluentem, admiratus esse dicitur. Nominarem vobis ex veterum ævo magnum eloquentissimorum Germaniæ Principum, nobilissimorumque hominum numerum, quorum facundia incredibilis linguam nostram vernaculam maximoperè illustrasse, plurimumque Remp. tum domi tum foris juvisse, ac naturalem eloquentiæ promptitudinem, in indole Germanica, clarissimè ostendisse dicatur, nisi hodiernus tum in cōcionatorio Ecclesiarum suggesto, tum in curiis, in comitiis, in judiciis, & tribunalibus omnium Germaniæ provinciarum, tantus eloquentiæ domesticæ splendor occurreret, ut non nisi cæcis & surdis ignotum esse possit, omnibus aliis gentibus lauream & palmam linguæ esse præreptam. Quod certè argumentum omnium firmissimum est, felicissimæ ad omnem eloquentiæ laudem naturæ ac indolis. Quæ enim cum homine nascuntur, an ullibi, quàm in Germanica gente perfectiora animadvertuntur, linguæ solutio, expeditus & clarus sonus, vocis gravitas, laterum firmitudo, vires, & ad omnium literarum, syllabarum atque dictionum pronunciationem dexterrima oris conformatio? Ac ne de vernacula differtitudine plura dicam, ad illam de qua potissimum cōtroverbia est, linguam Latinam veniamus, Illam ignorasse, barbarum

barum existimarunt; ad eam percipiendam Germanorum captum hebetem, indocilem, & omninò ineptum esse judicarunt. Quando verò? Tum fortasse, cum majores nostri linguam Romanorum, quam illi tanquam imperii & jurisdictionis suæ signum ac referam esse volebant, ut quocunque fines potentia suæ extendissent, eodem etiam linguæ pomeria suæ deducerent, veluti capistrum libertatis in regnis suis tolerare omninò recusarent, cum post Lollianam ad Rhenum nostrum cladem, hostium fauces præsecarent, Romanorumq; caudicorum linguas, quas in foro suo ferre nolebant, cruentissima laniena exscinderent, cum in Variana clade, quicquid obvium Latini oris erat, aut ferro demeterent, aut in nervum, & compedem mitterent. Tum verò facile crediderim, odio infestissimi populi, maximum etiam linguæ Romanæ odium in his oris diutius permansisse. Quid verò postquam singulari Dei munere, virtuteque fortissimorum majorum nostrorum imperii Rom. majestas sedesque in Germaniam translata est? quid, inquam? An non dicemus veteri odio in amorem converso gentes nostras cum ipso Romanorū solio, cum diademate, cum imperio, imperii etiam linguam æquissimo animo esse amplexos? Ita certè est: Cum sceptro, linguæ Romanæ plectrum illicò susceptum: Cepere omnia nostra delubra, omnia fana latinis cationibus resonare, cepere judicia, forumque, ac cancelli curiarum latinè loqui, omnes scholæ & gymnasia literis latinis imbui. Quo verò successu? certè felicissimo. Audiamus de ea re regnorum ipsam matrem Germaniam. Meum, inquit, Carolum tam animo, quam manu magnum, quis non uberrima eloquentia fuisse novit? quis variis eum linguis ad varios populos disertissimè usum esse ignorat? quem Græcorum legati Græcè sibi respondentem sum-

GG

mope-

moperè admirati: admirata eloquentiæ Latinæ genitrix antiqua elegantiâ plurimas ejus orationes conditas quas in urbe habuit? Quis id ætatis disertissimam Latinitatem in meis tum non ita pridem constitutis scholis & Ecclesiis, Rabani & Alcuini opera florentē, non cognovit? Haimonis mei eruditissimā facundiam quis non percepit? quis nobilissimos istos duos fratres, Medardum, & Gildardum in Franconia mea eodem partu pariter natos, eodem pariter die ad Episcopatus munera evectos, eodem die (mirabilis fraternæ fortunæ fatique convenientia) simul mortuos, eadem simul Latinæ linguæ eloquentia floruisse non intellexit? quid vobis ex Episcopatibus meis nominem veterem Bardonem ex Weteravia mea oriundum, quem Chrysostrum suum non Moguntina solū, sed universa Germanorum appellavit natio? quid Walramum Episcopum Cittiensem, quem Anselmus Cantabriensis ex Anglia, cū eidem suos libros dedicaret, disertissimum esse meorum id ætatis hominum scripsit? Non omittam ex nobilissima familia Gortziorum in Buchonia Fuldensem Præsulem Bertholdum, cujus facundia ex Italia Germaniæ & Galliæ primatum Ecclesiæ reportavit. Quis enim non accepit Otthonem meum Tertium non una lingua disertissimum, quem etiam Græca facundia (dignissimum studio præmium) ex hostium manu liberavit? Quis meum illum Quartum, summum illud imperii decus, plurimis linguis eloquentissimum, quem doctissimorum hominum cœtus obstupere? Quis Sigismundum in totius orbis concilio Latine orasse non audivit? Quis Henrici VI. suavitatem non legit? Ex Hennebergica familia, quis Bertholdum X. primum ejus generis imperii Principem, in Comitibus ad Mœnum meum creatum, honoris & admirationis gratia Oratorem imperii appellatum esse non cogno-

cognovit? Ex imperatoria domo meus mihi Otho Frisingensis est, quanta gravitate, & lumine historicus! Historia meum cum Romanis conferendum habet Lambertum: habet Urspergensem: habet Leopoldum: habet complures alios, quorum facundia etiam exterorum testimoniis commendata habetur. His verissimis patriæ nostræ vocibus neminem vestrum esse arbitror, qui non majorem mecum adhibeat fidem, quam omnium aliorum contrariis opinionibus, sinistrisq; judiciis. Tot eloquentium Imperatorum, tot principum, tot nobilissimorum virorum nostrorum ora percepimus: dicta & scripta illorum intelleximus: celebrationes laudesque cognovimus: quid ergo de natura, de ingenio, de indole nostræ nationis amplius dubitabimus? quid linguæ nostræ verba dari ab exteris diutius patiemur? Potuisse antiquioribus sæculis in maxima omnium artium & disciplinarum caligine, majorum nostrorum ingenia, ad istam laudem emergere, felicissimæ certè indolis & naturæ inditio fuit: quam etiam bonitate sua eò tandem altitudinis progressam, tum parentum, tum nostris temporibus perspicimus, ut omnium studiorum apicem attigisse videatur. Quæ enim huc usq; ab Imperio Maximilianii primi, quem non sine quodam subsecuti temporis omine, ac si cum ipsius ævo infantia præteritarum ætatum desitura esset, mutam pueritiam cum eloquentissima senectute eòmutasse crediderim, quæ, inquam, omnium scientiarum lux, & tanquam linguarum quoddam atq; omnium artium aureum lumen in Germania nostra obortum? quæ ingeniorum claritudo? quæ admiratio? ut etiam exteri, qui cæteroquin laudis Germanicæ parcissimi esse solent, fatentur coacti fuerint, & Romanos, & Græcos, & Hebræos, & Ægyptios, & Phœnices, & Chaldæos, atque ad eò omnes alios celebriores populos Germanorum artibus,

tibus, moribus, disciplinis, atque ingeniis esse superatos. Scilicet hic ille hebetudinis nostrę triumphus: hic tarditatis progressus: hæc barbariæ victoria: hæc crassioris nostri cœli, naturæque infelicitas, ut cœli cursum cum emendare institueret Pontifex, cœli artifices, & Astrologos, quemadmodum olim Julius ex Ægypto, missis legationibus ex Germania, superioribus annis petierit: quid enim de eloquentiæ incredibili successu dicam, prodiisse hoc posteriori seculo ex Germanorum gente virum tantæ linguæ felicitate, tanta elegantia, ut ipsis etiam Latinæ dictionis studiosissimis Italis, sui ingenii scripta pro Tullianis nonnullis libris, quos injuria temporis amissos desideramus, summa cum gratulatione, & læritia, tanquam postliminò recepta monumenta exhibuerit? Ite verò nunc Itali, & Germanorum linguam ad eloquentiæ gloriam indole ac natura ineptam atque inhabilem dicite. At vestrates vobis ipsi obloquuntur, ut enim alios præteream, non possum, quin vobis Bartholimum ex superiore ætate producam, qui in Germanorum disertissimi Matthæi Langii, quem facundiæ commendatio ex civitate Augustana, in qua natus & educatus, ad summos purpurei galeri honores Cardinalem, principem & legatum Cæsareum evexit, familia & comitatu versatus, non modò herilem eloquentiam studiosè imitatus, verùm etiam totius nationis felicitatem admiratus legitur. Venerat ille in eam Academiam, quam Sylvius olim, ut audistis, ob neglecta eloquentiæ studia, malè institutam esse prædicaverat, tum verò Maximilianus imperator collegiis novis oratoriis & poëticis instruxerat, maximisque præmiis & honoribus eloquentiæ studia excitarat: audierat ibidem homo exterius Germanorum aliquot Latinas orationes, quarum elegantia tantoperè Italum affecit, ut coactus fuerit
his

his verbis in Hodæporico scriptis confirmare se de Germanis verissimè sentire, eos Romanis oratoribus esse similes. Sed ne immemor præcepti oratorii videar, quod inter benè dicendi artificia non minimum esse monet, dicendi modum scire, ad finem cursu orationis converso, recentioris seculi linguam pluribus non attingam, quam in tanto præstantissimorum Oratorum multitudine, quos Germania ab Agricola, & Erasmo hucusq; ad Sturmium Argentinensem omnibus in provinciis suis habuit, si quis naturæ & indolis expertem mutamque dixerit, illum ad Cæstii coriam, quem, quod ignorasse Ciceronem literas prædicasset, ab Oratoris filio flagellatum, casumque accepimus, vel ad Lugdunenses aras amandandum, judicamus: removimus itaque veterem illum à limine nostro obicem: liberavimus sinistro iudicio, & opinione ineptitudinis antiquum nostræ gentis genium: sanguinem & succum eloquentiæ naturalè in vetustissimis maioribus nostris ostēdimus: propagationem felicissimam ejus in posteris usq; ad posteriora tempora demonstravimus. Naturam itaque cum nostro illo eloquentiæ magistro, qui hoc ab oraculo suo jussus erat, naturam ducem concitatissimo ad hæc studia cursu sequamur: naturæ alacritati impigrum laborem, diligentiam, navitatem, sedulitatem, & indefessam exercitationem adjungamus, quarum rerum ea est vis, eaque facultas, ut quæ etiam denegata nobis naturæ inclementia videatur, contentione sua superent, & consequantur. Superioris Germaniæ homines trecentis abhinc annis confirmatissimum, quemadmodum annales Suevici perhibent, adversus impeditiorem linguam, balbutientemque remedium hoc habebant, ut, nescio qua vi occulta, Habsburgensis serenissimæ familiæ, quæ & Imperii fastigium & maximam Europæ potentiam va-

lidissimè tuetur, crederent, osculum ab illis Princi-
 pibus ultrò acceptum, disertissimè loquendi faculta-
 tem adferre. Dabimus vobis, lectissima juventus, lon-
 gè expeditius, experientiaque confirmatius, omni-
 umque iudicio consultissimum consilium. Nam, si
 ruditatem & infantiam dicendi, cum disertissima fa-
 cundia mutatam, si naturæ tarditatem, orisque hæsi-
 tantiam emendatam, correctamque expetatis, imi-
 temini Demosthenis illius veteris eloquentissimi O-
 ratoris medicinam, quem tam ineptum ad eloquen-
 tiæ munus finxisse videbatur natura, ut ne quidem
 artis Rhetoricæ, quam sequebatur, exprimere pri-
 mam literam sine risu posset; amplectamini cum ipso
 vigilantiam, amplectamini, quem vobis optimum
 dicendi Magistrum Tullius monstravit, styli assidui-
 tatem, amplectamini, quæ superare nihil non diffi-
 cultatis prædicatur, solertiam, hæc maximè compen-
 diaria ad linguæ laudem & gloriam via: hæc expedi-
 tissima ad eloquentiæ felicitatem consequendam ra-
 tio: hæc illa Mercurii talaria, hæc ala, hic sal ille Pin-
 daricæ Minervæ, quem Rhodii in sacrificiis Musarum,
 ob id deserti ab eloquentia, neglexisse repre-
 henduntur. Hæc dissipationis Babylonicæ instaura-
 tio, hæc collectio: hæc vobis, quos ex omnibus ferè
 totius Europæ remotioribus regnis ac populis cõflu-
 xisse ad hanc coronam video, juvenes studiosissimi,
 Bohemi, Silesii, Ungari, Poloni, Livones, Moravi,
 Dani, Sueci; hæc vobis, inquam, per laborem, diligen-
 tiam, solertiam, & industriam ad admirationem om-
 nium illarum gentium, quibus olim, ut Clemens
 Pontifex scripsit, alieni ab omni liberaliori studio
 videbamini, disertissimos Dubravios, eloquentissi-
 mos Cromeros, Varsevicios, Herbutos, facundissi-
 mos historicos, Poëtas & Oratores dederunt: hæc,
 quod instar miraculi haberi potest, veteres Syracu-
 sas,

sas, & Athenas in extremam Thulen, ac priscis igno-
 tam Heclen transtulerunt: hæc si præsentem studii
 nostri occasionem sequemini, patriæ vos nostræ, o-
 mnibus ingenii eloquentiæ & ingenii muneribus or-
 natissimos, remittent. Æterni patris coæternum ver-
 bum, fons veræ sapientiæ, & eloquentiæ, omnisque
 facundiæ magister Jesus, cum ignea illa lingua, unde
 omnium linguarum admirabile donum cœlitus in
 has terras effusum, nobis assiduo adsit: balbutiem, ac
 titubantiam nostram non secus ac Ductoris sui olim
 Ægyptii, emendet, sermonem corroboret, labellum
 firmet, cœlestis Suadæ medullam ori nostro inserat:
 remigium optimi, & pessimi membri mortalis in no-
 bis ita gubernet, ut Deo nostro gratissima, Ecclesiæ,
 & Reipub. saluberrima, charitati Christianæ commo-
 distima, omnium hominum saluti utilissima, donec
 labiorum motus erit, dicamus. Præterea verò, quod
 ardentissimis precibus flagitamus, Illustrissimum
 principem, studiorum nostrorum felicissimum au-
 spicem, ducem, & incomparabilem patronum, ac be-
 nefactorem, cum illustri sua familia diutissimè nobis
 incolumem protectio servatoris nostri conservet,
 matrem hanc tam divinæ quàm humanæ sapientiæ
 Academiam florentissimam custodiat: Officinam e-
 loquentiæ, quam ipse hujus loci genius, ipsa natura,
 fluvii & colles nostri adjuvare maximoperè gestiunt,
 aurea suæ gratiæ nube circumdet, irriget, foveat, &
 inexhausta suavitate complectatur: Cathedrâ hanc,
 quæ tot clarissima ingenii atq; linguæ lumina, in o-
 mnibus disciplinis per octoginta annos sustinuit,
 quæ Illustr. nostri principis ad omnem posteritatem
 prædicandum exemplum obstupuit, quæ etiamnum
 & Chrysostomos, & Papinianos, & Stagaritæ nepotes
 habet, adamantino pede fixam, & adversus omnes

temporum procellas immotam inconcussamq; tue-
atur. Nos deniq; omnes & singulos, tam docentium,
quàm discentium cœtum, in amabili concordiaẽ ju-
go, fraternæ charitatis balsamo, in studii & officii a-
more, in animi & corporis flore, in omni felicitatis
succesu, in certissima æternæ vitæ spe & expectatio-
ne perpetuùm conserve.

O R A T I O V.

*De studio Historico.**Habita Anno 1603.*

U M multa præclarè ac sapienter à majori-
bus nostris ordinata ac instituta sunt: tum
nihil præclarius, nihil prudentius, nihil ad
studiorum conservationem consultius, ni-
hil ad literatę juventutis eruditionem provehendam
compendiosius, nihil ad dignitatum & graduũ Acade-
micorum auctoritatem retinendam, ad augendam,
& amplificandam literarum gloriam, magnificētius,
quàm, ut habita quotannis diligenti pubis schola-
sticæ examinatione, exploratisque studiorum curri-
culis, benè contendentibus honorum præmia, tituli
ac honores, tanquam invitamenta, & ad majorum
laudum progressus invitamenta decernerentur: Cu-
jus quidem rei vestigia à priscis illis Græciæ vel itato-
riis campis ac arcis, & Olympiacis certaminibus, ve-
terisque militiæ optimè ac perquàm prudenter in-
stitutæ disciplina, in literarum Gymnasia & officinas
studiorum liberalium defluxisse, neminem tam igna-
rum antiquitatis esse arbitror qui non intelligat, nõ
cognoscat. Nec verò non summoperè prædicanda
est veterum in ea re prudentia, quòd dignitatum &
honorum ordinem hunc diligenter & exactè servari
volue-

voluerint, ut à minimis ad media, à mediis ad summa habito progressu, gradus, quos vocant, Academici peterentur, néve per saltum, ut dicitur, honorum apices impetrarentur. Illud enim non solùm casus periculo, sed etiam certo præcipitio ruinæque obnoxium haberi, exploratissimum esse judicatur. Casum enim appetit, uti Pontifex Gregorius rescripsit, qui ad summi loci fastigia posthabitis gladibus per abrupta quærit ascensum: constitutus idcirco gradus in literaria hac civitate Baculariorum primus, qui ita congrua & perhonestâ appellatione nūcupati, quòd baculus, qui manumissionis apud antiquos summorum rerum dominos signum & insigne habitus est, traditus in manum more majorum iis fuerit, quicumq; nomen suum liberalibus studiis consecrassent, quiq; castris & vexillis Musarum sese aggregassent, & literarum cultui perpetuo, tanquam sacramento militari, suum caput obligassent, & quasi mancipassent. Cujus rei, ne me fortè illa ex meo sensu promere aut etiam fingere existimeris, testem sese offert antiquitatum doctissimus Rhenanus, qui sese in scholiis suis ad Tertullianum, in vetustissimis Parisiensis Academiae membranis, quibus constitutiones Academiae perquam diligenter & accuratè scriptæ continebantur, Bacellarios à bacillo dictos legisse confirmat. Pulchra certè notationis ratio, ut per manumissionis baculum Bacularii suæ & professionis & sui officii per ipsum nomen admonerentur, in regnum scilicet se missos esse reginæ omnium divinissimæ, eruditionis nimirum ac disciplinæ liberalis, quæ dux & magistra vitæ humanæ existit, sine cujus regno & administratione nihil ingenuum, nihil in universo liberale, nihil quod homine dignum existat, in homine haberi possit. Baculum profectò maximè splendidum & egregium, cui neque consulares

fascēs, neque centurionum militares vites, neq; prætorias festucas, neque ullas veteris manumissionis virgulas, atque aded neque regum sceptrā, neque augurales lituos, neque ulla majorum dominationum insignia conferre quisquam, nedum anteferre jure possit. Quid enim in illis omnibus tam eximium, tam regium, tam magnificum, quod cum divina virtutis & eruditionis potestate, quæ per baculum scholasticum significatur, contendere valeat. Nihil illie æternum, nihil firmum, nihil stabile, nihil solidæ laudis & fundamenti: Artium & doctrinarum baculus, tanquam Aaronis virgula, perpetuò floridus, æternisq; radicibus veræ & solidæ gloriæ innixus, nullis fortunæ tempestatibus obnoxius, immortalis, & ad omnis vitæ momenta semper fixus & diuturnus. Adeste itaque bonæ frugis & optimæ spei melioribus animi bonis initiati, genii ac ingenii felices adolescentes, adeste inquam, ad tam honesti nominis ac tituli consecutionem, ad scholastici hujus baculi & Academiæ manumissionis, quæ liberras revera omnium maxima est, & in vulgus ignota, adeptionem, cujus gratia præsentem hunc actum hodierno die institutum animadvertitis, cum celebrandi gratia tot clarissimorum virorum, tantorumque luminum convenisse cœtum, confluisse frequentissimam hujus illustris scholæ pubem, aures ac oculos omnium in vestri intuitum conversos, spemque omnium animis de vobis concitatam maximam, fore, ut hi vestri tituli & nominis primordia, beneque inchoatæ eruditionis primitiæ, tanquam fructuosissimæ baccæ, in uberrimam doctrinarum & honorum majorum messem perducantur, & laudatissimarum artium ac facultatum absolutam gloriam consequantur. Quod ut ex animi sententia & voto nostro fiat, cœlestem Triadem hodierno actui non solum
inter-

interesse, sed etiam præesse, precibus quibus possumus maximis, flagitamus. Excant autem, excant ii, qui cum Arriano, ut ejus verba sunt, Ζῶον σχολαστικὸν καταγελάσῃ, qui Bacalarium ut animal scholasticum risu excipiunt, qui primas eruditionis baccas contemptui habent, candidatosque nostros ob id aspernantur, quòd quemadmodum Romani, hoc est boni cives facere debeant, teste Pomponio, per portas honorum rectâ ingrediantur, cùm ab infimis ad suprema iter instituant, à radice ad cacumina altiora contendant, ac solito ingressu in provinciam hanc literariam utantur. Facessant ab hoc virtutis theatro omnes fannæ, & malè feriatorum hominum ludibria & cachinni, quibus cum hoc scholasticum Baculum despectui sit, ad infirmitatis & egestatis baculum ne perveniant, diligentius ipsi videant. Sed nos, ut in sacrificiis antiquis exclamari mos fuit, hoc agamus: Octo & viginti hos adolescentes, quos astitisse nostræ cathedræ cernitis, philosophici gradus primi cupidos, voti sui compotes faciamus, tribuamus illis optatissimum studii sui brabeon, incingamus eorum frontes frondibus, & Baculariorum titulis ac honoribus exornemus. Sed ne, quod Jctus Cajus in principio de orig. juris præmonet, illois manibus opus nostrum aggrediar, Academiæ veterem morem, quem firmiter retinendum esse Arcadius & Honorius rescripserunt, non prætermittam. Quid verò illud? Præmittam qua potero brevitate in auditorii tam splendidi gratiam, tanquam initiatoriam aliquam orationem, qua actus hic noster tum illustrior, tum gravior & jucundior, tum fructuosior, tum abundantior sui existat. Nihil autem hoc temporis tam opportunè, & ex re tam commodè occurrere mihi potuit, quàm ut de iis rebus sermonem hoc loco in tam frequente conventu instituerem,

quæ

quarum tractationem impoſterum, Deo juvante,
 maximo ſtudio & diligentia perſequi, poſtulate
 & officio & fide mea conſtituerim. Cùm enim illu-
 ſtris. principum clementiſſima voluntate & gratia
 ſuperioribus mihi menſibus hiftoriarum & antiqui-
 tarum docendarum provincia ordinaria demandata
 fit, antequam illius mei penſi exordium faciam, de
 hujus mei muneris ingreſſu, ſtudiique hiftorici anti-
 quitate, de tela nimirum, & ut ita loquar, de lino &
 lana, quam vobis, ſtudioſiſſima pubes, tincturus &
 texturus ſum, verba nonnulla faciam. Ita enim opti-
 mē quiſq; artificum de iis rebus ſermones inſtituit,
 quas manibus verſat, quarumque exercitiis potiffi-
 mum occupatur: deque nova crepida, ut verſiculus
 eſt, verbum ſutoris amatur. Duobus autem hiſce ſpa-
 tiis orationis meæ curſus continebitur, ut tum di-
 gnitatem & amplitudinem & præſtantiam, tum fru-
 ctum & utilitatem incredibilem hujus noſtri ſtudi-
 percipiatis: deinde veritatis hanc magiſtram à calu-
 mniis quorundam expeditam & liberatam faciemus.
 Atqui cunctas quidem ingenii facultates divinas eſ-
 ſe fatemur, eaſque ſummoperè admiramur prædica-
 musque artium & diſciplinaram ſtudia cùm nobiliſ-
 ſima eſſe, tum earum cultores in ſummo precio po-
 nendos aſſeveramus: omnibus tamen hiftoriam, te-
 ſtem temporū, veritatis lucem, vitam memoriæ, ma-
 giſtram vitæ, vetuſtatis nunciam, omnium prudenti-
 um conſenſu ac ſuffragio anteferendam longiſſimè
 eſſe judicamus, utpote quæ mater & conſervatrix, at-
 que aded reliquarum artium quaſi anima quædam
 habeatur, vel eo ipſo nobilior, quò omnibus una an-
 tiquior. Cum ipſa enim natura parente rerū omniū,
 Hiftoria nata eſſe videtur, prima mortalium præce-
 ptrix, prima rerum cunctarum & privatarum & pu-
 blicarum informatrix, prima humanarum cogita-
 tionum

tionum gubernatrix , norma & amussis prima , ad quam omnium postea ætatum institutæ rationes & consilia , imò verò , quod longè maximum est , Historia prima Dei tuba & buccina clarissima est , quæ & Deum , & Dei opera , cùm nondum nati homines essent , aperuit , & posteritatis memoriam per longissima annorum spacia transmisit . Idque viri prudentes ævi veteris hoc fabulosæ imaginis integumento adumbrasse videntur , cum Saturni , vetusti gentium Væjovis , delubris , Tritonum imagunculas apponerent , illustri argumenti documento , omnium temporum , & ipsorum Deorum , æternitatisque ipsius memoriam formamque facilè omnem intercidisse , nisi Tritonum , hoc est , Historicorum buccinatorum tuba & clangore esset conservata . Nec verò sapientissimus ille Historicorum parens Herodotus , aliam ob causam novem suis libris singulis singula Musarum nomina indidit , Musisque eosdem consecravit , quàm quòd & divinissimum historiarum studium esse , & cum ipsis Diis ortum , & ab iisdem profectum judicaret . Ac ne istud tam ex pagano scriptore , quàm sacris nostræ fidei auctoribus discere velimus , Historiæ Mosaicæ , quæ omnium aliorum scriptorum vetustatem exuperat , quo auctore , quo genio , quo afflatu libri scripti sunt ? Divino certè . Quo reliqua sanctorum heroum & regum gesta ? Divino . Quo universa & veteris & novi fœderis monumenta ? Divino . Princeps itaque historicorum Deus est : ab illo prima rerum vetustissimarum consignatio : prima illustrium annualium descriptio , & antiquitatum omnium conservatio . Cedant hic longè Sibyllini illi Codices : cedant Minois leges ab Jove acceptæ : ab Apolline constitutiones Lycurgæ traditæ cedant . Cedant à Pallade Solonis leges cogitatæ . Hominum inventa , hominum fabulæ hæ sunt . Historia , quæ veritatis
unica

unica fax est, verissimum suum auctorem Deum verum habet, cujus profectò tanta amplitudo, ut si cum Judæorum Rabinis altissimum illum rerum omnium moderatorem, adminiculo alicujus prudentiæ & eruditionis ex libris accersendo indigere ineptè & impiè (quod absit) asserere velimus (quemadmodum illi de Thalmudicis suis mendaciis improbè asseverare non verentur) non quidem aliis quàm historiarum studiis uti Deum immortalem posse aut debere arbitrandum esset. Nec enim aliis studiis, aliis artibus & scientiis vastissima cœli & terrarum gubernacula administrari posse (si humano more & sapere & loqui liceat) certò statuendum est, si quidem omnium aliarum artium, facultatum, disciplinarumque fontes & origines omnium radices ab hoc nostro studio ita dependeant, ut si forrè is, qui hodie in omnibus scientiis vultus fulgentissimus est, subita aliqua caligine vel obscuraretur, vel tanquam voragine aliqua penitùs deleretur, non aliunde incomparabilis illius ruinæ remedia ulla, quàm ex historiarum thesauris peti & haberi possent. Quod ne videar ambitiosè magis quàm verè pronunciasse, singulos, si libet, aliarum facultatum magistros & artifices de hac re audiatis. Unde mihi Grammaticæ, si amissa tibi loquendi rectè tua norma est, unde loquendi regulam & artem tuam repertes? Unde vocabula, quæ in senatu, in foro, in judiciis, in subselliis, in campo, in arce, in castris, quæ domi forisque usurpanda, recolliges? unde locutionum tuarum formulas, dictionum puritates, verborum structiones, totamque illam artis tuæ suppellectilem ac instrumentum reposces? An aliunde, quàm ex Historiarum illo immenso Oceano? Unde florem tuum dicendi Orator, unde tropos & figuras, unde pigmenta & cinnos, cerussam & lomentum

tum

tum tuum unde resumes? Ex libris historicis, inquis; ex Attico illo dicendi optimo Magistro Thucydide, ex lacteo facundiæ fonte Livio: At organon tuum unde, Logice? unde argumentorum locos reficies? inventionis tuæ rudera restitues? iudicii tui vestigia repones? Syllogismorum formas unde accerises? ordinis viam requires? Ex abundantissimo Historiarum penu, tanquam ex copiæ aureo cornu omnia. Si Physicum interrogem, idem mihi respondebit: Ex historiarum augustissimis fontibus derivari rivulos posse suos omnes: Et cur neges? Plinius Historicus illico evincet. Evincet historia de animalibus. Et quid reliqua historicorum phalanx? Quid verò stirpium est & fruticum, quid herbarum, quid arborum, quid metalli, quid sub omni sole animantium, quod historicorum monumentis non sit comprehensum. Interrogem astrologum & mathematicum? Ex historicis observationibus omnia sua vaticinia & prædictiones pendere affirmabit. Historia docuit quid Planetarum conjunctiones, quid quadratus aspectus, quid Solis & Lunæ Ecclipses, quid cometarum ignes portendant, quid hujus vel illius sideris obitus, quid ortus ferat, historia docuit: Interrogem Ethicum, Politicum, Oeconomicum: hi manum illicò dabunt. Hi animam & sanguinem, nervos & ossa ab historico sese habere omnia fatebuntur. At quid vos facultatum superiorum antistites? Ibitis inficias, Theologi, universam divini vestri studii scientiam ex historiis petitam? Nónne salutis nostræ sanctissimus codex historicus est? mundi hujus machinam ex nihilo conditam, neque ab æterno, ut philosophorum somnia fuerunt, existisse, ab historia didicistis. Solem & Lunam, lucidissima duo cœli corpora, omnesq; Planetas, cum totius firmamenti stellato exercitu, ab immortalis opifice creata, neq; ob eam causam,

causam, uti impiè à gentibus traditum, in deorum numero habenda, ab historia didicistis, hominem primum ad Dei imaginem conditum, lapsum, redemptum, cum Deo principes piorum hominum collocatos, Dei digito leges exaratas, & ut summatim dicam, omnem salutis humanæ expediendæ rationem ab historia didicistis. O ineffabilem Historiæ sapientiam, incomparabilem Historiæ thesaurum, in quo omnes opes, spes omnes nostræ, omnes divitiæ repositæ, omnes & vitæ & animæ nostræ rationes collocatæ: Quo certè provisor ille rerum mortalium & custos immortalis nihil preciosius, nihil præstabilius, divinius nihil humano relinquere generi potuit, nihil omninò, quod ad divinæ prudentiæ proximitatem propius mortales perducatur! Sed quid ad hæc vos legum nobilissimi interpretes? Antevertitis ipsi, quæ vestra æquitas & prudentia est, antevertitis meam sententiam: Ultrò fatemini, sine historiarum cognitione, legum omnem scientiam tanquam sine luce & face frigere, torpere: sine antiquitatum exquisita scientia vix apicem ullum civilis prudentiæ rectè intelligi. Audivi aliquoties ex te, Vultej, clarissime JCte, teste hac eadem cathedra, Historiam esse, quæ legibus animam, quæ lucem, quæ legibus intellectum, legibus vitam ministret, obscuritatem quæ detegat, nodosa explicet, quæ contraria & pugnancia videantur, componat & conciliet, quæ dubia sint, in viam revocet, audivi Historiam esse. Memini præterea te plurima juris publici obscurissima capita partim ex Halicarnassæo feliciter expediisse, antiquitatum vestigia ostendisse, partim ex Dione aliisque plurimum lucis ad textuum multorum intelligentiam attulisse. Tantum siquidem jurisprudentia Historiarum beneficio debet, ut sine illis vel omninò non esse, aut certè manca esse cogatur. Quàm multa, Deum Opt. Max.

Max. sunt, quæ etiamnum à legum, ut sibi videntur, acutissimis verticibus non intelliguntur, quod historicorum lampade, in antiquitatum nebulis discutendis, destituantur? Pauca duntaxat quæram: angustia enim temporis longiorem orationem non patitur. Quid quæso jus relationis quintæ est? quam sollicitè & trepidè, & sine rationibus divinare instituis Alciate? Tacuisses, mallet, Egnati. Neque enim hoc loco illud Pindari triumphale audies: *Ακοντίζεις σκοπῶν ὀχίσα μοισῶν*. Ad scopum proximè Musarū jacularis. A foribus, à foribus, inquam, longissimè aberras. Jus relationis in vita Probi apud Vopisc. tertiæ est, quod tanquam regale & privilegium maximū Cæsari à senatu tributum. Jus itidem est quintæ in vita Pertinacis. Quæ duo si rectè intelligis, ut intellectu proclive erit, si locū rectè perpendis, quid Quintæ jus sit, sine Delio natatore percipies. Sed quid hæc à vulgi oculis remotiora profero, cum sæpenumerò illa etiam, quæ ante pedes sunt, non pervideantur. Nec enim jurisperitorum pronior ullibi lapsus est aut facilior offensio, quàm illa, quæ ex ignorantia antiquitatis & historiæ emergit. Nævus, ita me Deus amat, in eximio corpore valdè nōnunquam insignis, qui que non rarò totum vultum alioquin formosum deturpat. Accursium admirata omnis superior ætas fuit, admirabitur eundem omnis posteritas. In legum interpretatione vix similem id tempestatis habuit. At quàm ineptus idem, quàm nobis ridiculus, in antiquitatum explicandis rationibus? Quibus salebris non hæret? ut sudat nonnunquam? ut æstuat? *in l. 2. ff. de Orig. I.* quàm multa absurda profert, & uti ingeniosus Poëta, figmenta pro veris adducit? Sed quid de Castrensi vobis recitem. In legum castris ille admodum acutus, in historiæ campo frigidus, ne dicam planè rigidus. Quàm turpiter enim idem lapsus?

HH

plus?

plus? At ubi? *in l. fin. C. de institut. substit.* Papinianum scribit coriphæum antecessorum omnium, sub Antonio triumviro securim passum, & ætate Augusti floruisse. At tum temporis, bone Castrensis, in naturæ castris illud juris asylon nondum erat. Diem totum dicendo eximerem, si excutere similia aliorum commissa vellem. Eò sese referat oratio, ut omnibus hoc persuasissimum fiat, non minus à die solem, quàm à jurisprudentiæ latere historiarum lucem abstrahi & avelli posse: Posse itidem si in Gothicas tenebras civilium legum thesauri, quod olim ante Lotharium evenisse novimus, (Deus avertat) iterum fortè abderentur, posse inquam, ex historicorum voluminibus maximam juris civilis partem quasi postliminio revocari. Accedã nunc ad medicos: sed quid illis ad hanc rem opus? Nihil hætenus dictum esse arbitror, quod purgationem aliquam desideret: Verbum nullum elapsum, quod ad Antyciram illorum remittendum, aut quod hellebero corrigendum. Nam quid de medicorum suffragio, quod illi historiæ debent, addubitem, quorum omnis medendi ratio in historia, hoc est, experientia præcipuè tanquàm in basi & certissimo fundamento consistit, ex quibus illi optimi, qui suorum medicamentorum probatissimi historici. Novo enim Machaoni novos vespillones & Libitinarios, ut in jure vocantur, constituendos esse ex trivio etiam pueri clamitant. Verùm de hac re vobiscum agam. Tollatur Hippocrates: deleatur Galenus: extinguatur cum septuaginta suis voluminibus *ἑβδωμηκοντάβιβλα* & ille Gribasius, tota simul illa Arabum familia radicitus extirpetur, ausim vobiscum sacramento quadragenario contèdere, nullã ferè non medicinæ partem ex historicorũ libris iri restitutum: nam vel unus Plinius noster ruinam consolidabit omnium: Herodotus Melampodis
& De-

& Democedis narthecia depromet : Herodianus
φάρμακα περιουλακτικὰ sua aperiet : Thucydides pe-
 stilentiaē opem feret: *φθειρίασιν* alius : alius aliam lu-
 em curandam dabit. Quid ? quòd quædam morborū
 genera & nomina sint , quorum remedia non nisi ex
 historiis etiam hodie nota, Mentagram Claudii tem-
 pestate ex Asia Romam commigrasse, & 200. sestertiis
 sanatam, quis medicorum, nisi ex historia novit ? Et
 quid hoc aded mirum videbitur, cūm omnia illius
 archiatri præcepta clinica, omnes aphorismi & regu-
 læ ex historicis collectionibus, teste Plinio gravissi-
 mo, coacervatæ sint ? Sed nolo in re tam liquida pe-
 dem figere. Convertam me potius ad alias vitæ com-
 munis partes. Prius autem Scipiones, Annibales, Ju-
 lios & Vegetios, totamq; illam Romanam militiam
 compellabo. Unde illi armorum tractandorum con-
 silia, unde nervum & artem bellicam habeant, unde
 didicerint, quæram ? Ex Pyrrhi, & ex Cyneæ antiquis-
 simis monumentis, respondebunt. At qui illi ? Histo-
 rici sunt, & bellorum scriptores. Sed quid tu ante a-
 lios Luculle ? Xenophontem fateris, cūm antea planè
 rudis ad imperatoriam dignitatem munusq; perve-
 nisses, omnem brevi intervallo imperatoriæ laudis
 tibi viam aperuisse, & victoriarum cursum juvisse. O
 incredibilem fructum historiæ: Historia virtutis bel-
 licæ adjutrix : imò verò administratrix bellorum o-
 mnium historia. Quod optimè intellexisse literatiss-
 simus Rom. Imperator Alexander legitur, qui consi-
 liis suæ militiæ literatos, & maximè eos, teste Lam-
 pridio, qui historias norant, adhibebat. Prudentissi-
 mus idem sensit rex Siculorum Alphonsus, qui belli
 sui consiliarios solos mortuos esse festivè prædica-
 bat, Historicos antiquos intelligēs, ex quibus omni-
 um rerum consilia expediendarū, omnium rationes
 agendarum rerum depromebat. Utinam idem impe-

ratores, duces & principes omnes intelligerent, minus fortasse nonnunquam in armorum administrationibus periclitaremur. Quid enim ex Thucydide consilii altioris non depromendum, ex pædia Cyri, quæ omnibus Romanorum ducibus præluxit, quid non addiscendum? Ex Appiani Alexandrini bellis quid stratagematis non cognoscendum? Ex Polybii scriptis, Deum immortalem, quid prudentiæ tum togatæ, tum militaris, tanquam ex alto fonte non hauriendum? Audiam verò quenquam hodie tum domi tum foris gubernatorem esse, qui Guicciardinum non evolverit, qui Cominæum Gallicum non ad unguem edidicerit? Duo certè hi regum & principum oculi, duo maximarum rerum omnium & consiliorum lumina haberi meritò debent. Trajanum omnium felicissimum, & ultra fatalem Euphratis terminum propagati imperii potentissimum, Plutarchi præceptoris historica institutio effecisse creditur. Credendum, facere eundem & hodiernos principes posse. Incredible etenim dictu, quantus rerum arduarum, & ad Imperii arcana pertinentium in divino illo auctore thesaurus existat. Sed quid me tantæ amplitudinis mole efferenda jam dudum ipse obruo? Non etenim, si cum Poëtis centum mihi ora, centum linguas optare liceat, exprimendæ magnitudini rerum harum omnium essem. Vereor profectò, ne clarissimam illam temporum lucernam tenebris meis obscurem magis, quàm illustrem. Audiamus itaque ipsam potius facundiæ vitæque omnis magistram Historiam, de sese his verbis suis ita concionantem: Quid causæ, cur me annosam, inquit, omnis vitæ moderatricem Imperatores, reges, principes, omniumque ordinum mortales minore in precio, quàm veteres illi mei cultores habeatis? an quod apud Columellam de ignavorum colonorum querela legitur, iudicatis me

eomo-

eo modo, uti ibidem tellurem, exhaustam pristinis viribus, elanguidam, & vestri seculi rarioribus ac disciplinis parum idoneam? At vos ipsi vobis mortui, si eo opinionis morbo teneamini: Eadem mihi, quæ ab omni ævo, vires, eadem instruendi & gubernandi facultas, idem prudentiæ nervus, imò verò eò major nunc, quò copiosior experientiæ series. Cultum religionis veræ primis mortalibus aperui: conditionē omnium rerum docui, sapienti etiam Soloni per Ægyptios sacerdotes communicavi: temporum & annorum curricula à Philosophis diligenter quæsitā, Aristoteli ignorata, ab Alexandro rege summo studio apud Babylonicos investigata, à prima usque Aurora, per tot longissimos ætatum solisque cursus, per tot epochas, tot Olympiadas, ac æras, tot lustra & secula, tot Romanorum reges & Consules integro numero conservavi. Summa orbis imperia quatuor, de quibus meus Daniel vaticinatus est, monumentis meis conclusi. Omnium fermè regum & principum, familiarumq; eximiarum domos, stirpes & origines, lineas & arbores, ortus & occasus ad posteritatem transmisi. Ex me quisque majores suos cognovit, nomina ab avorum suorum didicit: lucem generis sui accepit: artes & artificia omnia per me in nationes varias deducta, omnia imperia meis literis administrata, resp. constituta, urbes gubernata: regum consilia temperata: jus divinum & humanum compositum: Ego unica priscae virtutis felicissima custos: omnis memoriæ anima & vita: benè meritorum æternum præmium: malorum & sceleratorum pœna: Per me Alexander Macedo perpetuùm floret: Julius & Augustus vivunt, Neronēs, Caligulæ, Domitiani, Cōmodus, Vitellius, Heliogabalus per me æternùm ignominiosi. Nulla sine meis literis veterum herouū bella suscepta: sine me nulla feliciter finita: Ego

HH 3

terra-

terrarum orbis imperium Olympiæ filio reclusi : arma illius rexi : in castris, in consiliis, in victoriis cum ipso usque fui. A Julio victoriosissimo triumphatore, nunquam discessi. Ego Pompejum Magnum feci; Tullium meum in Asiæ expeditionem feliciter deduxi : è Catonis manibus, cum Hispaniam subjugarer, nunquam excidi : Scipiones, Romanorum illa bellorum fulmina, per Eanium meum, per Polybium meum secuta, nunquam deserui. Carolum Magnum, occidentis illum augustissimum instauratorem per omnes hostiles acies, per Longobardorum clades, per Saracenorum strages maxima cum gloria sum comitata. Sed quid verbis multis me deprædicem, cum sine luce & prædicatione mea in tenebris jacerent, quæ & jam sunt, quæ fuerunt, & quæ futura sunt omnia. Ego sum illa Promothei fax divinitus hominibus illata, cujus prospicientia non solum ea, quæ longè ante gesta fuerunt, sed & ea, quæ in subsequentiæ omnium seculorum sinu abdita & abstrusa sunt, penitus pervidentur & collustrantur. Ego illa, quam Hieronymus ad Heliodorum scribens tantoperè desideravit, altissima specula, ex qua universus terrarum orbis, & quæcunque ab Oriente ad Occidentem, ab Austro ad Septentrionem geruntur, uno quasi momento & nutu oculis subjiciuntur. Ego illa celebratissima poëtarum figmentis Famæ domus, in qua omnia ea, quæ terra mariq; apud superos & inferos contingunt, audiuntur, quæ occulta sunt aperuntur, quæ in aurè deposita sunt manifestantur. Ego illa in regum aulis, in magnatum palatiis Mydea auris, quam fugere nihil in quocunque orbis angulo dictorum potuit. Ego ille Argi oculus, qui ante, & qui retrò omnia animadvertit. Biceps ego ille Janus, qui rerum cunctarum ingressus ac initia, qui exitus & eventus cunctarum perspicit. Matrem li-
 tera-

terarū, literatissime conventus, audistis ipsam? Quā verò veritatis luci aliā addemus facē? Hominē equidem dixerim & sensus & mentis omnis expertem, qui tam incredibili rerum maximarum fructu, quibus omnis vitæ felicitas continetur, non capiatur. Nunc etenim tandem cognoscimus longè illud esse verissimum, quod, quemadmodum apud Platonem legitur, Ægyptium quendam sacerdotem de veteribus Græciæ hominibus rerum exterarum, priscaeque historiæ ignaris, non sine totius gentis rubore, pronūciasse accepimus: At quid istud? Græcos per omnem ætatem pueros esse: pueros appellavit, quòd ultra infantiam nihil tenerent, nihil saperent, nihil perspicerēt. Quam verò rectè illud, quam appositè? Quid enim, Deum immortalem, illorum hominum vita, etiam si longissimis annorum cursibus ad Nestoris usque ævum extrahatur, si ab omni rerum præteritarum cognitione inops ac nuda, si tanquam in fasciis puerilibus, ita in ignorantiae tenebris involuta, si omnium illarum rerum, quæ foris geruntur, spatiis exclusa, quasi in angustissimis serpetastris, in quibus primæ ætaturæ gressus & pedes instituuntur, contineatur, quid, inquam, illorum vita ab infantia, quid à stolidâ pueritia differt? nisi quòd hæc indolem & spem rerum maximarum nobis polliceri temporis maturitate possit, isti verò nullam omninò unquam. In pueris præterea hoc est oblectabile, quòd cum fari nondum queant, jucundè tamē balburiant: placet illorū parentibus curiositas: placet illa de singulis quæ oculis, quæ auribus usurpatur, diligens sciscitatio: Nihil horum in illis: In conviviis muti sunt & elingues, inter pisces ipū pisces: in prudentum confessibus planè mortui: In publicarū rerum deliberationibus cæci: in medio orbe cum sint, quæ in eodē gerantur, quæ gesta sint, non perspiciunt, nō intelligunt. Misere-

ram profectò hominum pueritiam, quæ undiq; quæsi ergastulis inscitiae ac imperitiae circumdata, & tanquam in solitudine ac in carcere detenta! Risit non injuria vir clarissimus Philippus Camerarius, amicus noster, quemadmodum ipse de sese in successivis suis **H**oris retulit, Italorum quorundam, qui tanquam cochleæ domo sua nunquam egressi erant, ineptam, ne dicam planè stolidam simplicitatem, ruditatem ac ignorantiam, cùm interrogarent, quantæ latitudinis ac magnitudinis urbs Germania esset. Urbem, rerum communium ignari patriam hanc nostram amplissimam, quæ decem circulos, ut ætas hodierna vocat, instar decem justorum regnorum, complectitur, urbem esse unam arbitrabantur, quæ unis tantummodò mœnibus cingatur. Stultissimi cum illi Tityro Vergiliano, qui simili opinionis errore captus, de sese ipse canit:

*Urbem quam dicunt Romam Melibæe putavi,
Stultus ego huic nostræ similem.*

Non autem aliam me memini, cùm in Dania peregrinarer, in regnis Borealibus deprehendere hominum simplicitatē: de Westphalia, ex qua cùm quamplurimos incolas & peregrinos apud se habeant, quantâ capacitate urbis ejus ambitus esset, quærebant. Eadem inscitia puerili præditos plerosque omnes esse animadvertimus, qui in nulla historiarum cognitione versati, velut hospites ac peregrini gentem à gente distinguere, oram ab ora nesciunt, atque ipsi propè etiam sese & suos ignorant. Similes profectò generosissimo illi adolescenti, qui cùm à regina Angliæ interrogatus esset, qua matre esset natus? matris suæ nomen se nunquam indagasse respondebat. Cæterum, cùm, quemadmodum Tullius noster ad Cassium scripsit, difficile admodum sit hominibus persuadere τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἰρετὸν, id, quod honestum

stum sit, per se esse expetendū, non possum, quin etiā ἠδονῆν, quæ tanquam Cyrce & Medea ac incantatrix mortalium animos illicere, trahereq; solet, voluptatem nimirum, suavitatem, summamque jucunditatem, quæ ex historiæ lectione percipitur, ob oculos vestros constituam. Quæ verò illa? Stupidus, atque adeò brutus, cæcus, animiq; scævus, si illam non sentias, non percipias. Fabularum ac poematum ea dulcedo celebratur, ut & feræ illam secutæ, montes & sylvæ comitatæ, rupes & silices esse ea commotæ perhibeantur. An verò dulcius sit fabulosi Amphionis ac Orphei citharam, quàm ipsum omnis suavitatis & charitatis fontem æternum Deum ex historica veritate audire? quid ille ab orbis huc usque initio cum sanctissimis hominibus collocutus, ut cum iisdem pransus, ut familiarissimè cœnatus, ut ab incendiis & periculis omnibus pias quasque animas eripuerit, ut ex mediis immanissimi cæti visceribus in lucem vatem suum retraxerit; quid præterea filius Dei carnem humanam indutus in terris egerit, quos sermones cum mortalium genere contulerit, quæ præcepta dederit, in quibus certè cognoscendis omnis vitæ nostræ felicitas, omnis spes & opes æternæ beatitudinis collocatæ.

Quæ verò major voluptas humanis offerri cogitationibus queat, quàm si insignem pietate Enochū ad astra translatum, Eliam Prophetam curru igneo in cœlum transvectum, cum Servatore redivivo nostro, innumeros patrum cœtus è sepulchris exisse, ac regnum cœleste conscendisse, ex historiæ verissimis monumentis cognoscamus? Quæ major jucunditas, quævé oblectationi divinæ propior, quàm quicquid ab origine orbis in omnibus terrarum partibus gestum, quid dictum sit, perspicere, ac intelligere, cum omnibus qui unquam in scena rerum mortalium visi

fuerint, regibus colloqui, cum Cyro & Alexandro militatum ire, cum iisdem universum Orientem superare, in eorū palatiis & interioribus consiliis versari, in prudentissimo Græcorum Amphyctionum consessu federe, deliberationibus omnium gravissimis mentem adhibere: in Romanorum curiis de universo orbis imperio administrando cogitare, fortissimos Germanorum nostrorum imperatores intueri, cum iisdem Alpes transvolare, Romam expugnare, amplissimasq; victorias domum reportare? O quàm jucundum est ejusmodi hospites semper domi suæ alere, exclamavit olim Plutarchus, cùm Themistoclis sui, cùm Aristidis, cùm Solonis aliorumque summorum virorum vitas lectitaret. Olectatos maximo perè gravissimos Romanorum principes accepimus, majorum domi affixas imagines cùm intuerentur, plurimumque ad virtutis imitationem exuscitados. At illæ nihil spiritus, nihil vocis, nihil vivi coloris in sese continent. Historiam, historiam potius intuere, quæ non inanibus lineamentis adumbrata, sed expressa & viva simulacra exhibet, cujus tanta, si penitus percipiatur, suavitas, tanta voluptas, tam mirifica oblectatio, ut animum legentis extra ipsum rapiat, omnibus affectibus exuat, ac induat, quibus velit, mœrores ac tristitias abigat, febres & morbos, tãquam divina quædam & Apollinea virtus, medullis intimis pellat. Quod ne more oratorum potius, quàm verè dixisse me quispiam opinetur, exempla ejus rei memoriã omnium dignissima in illustrissimis duobus superioris ætatis principibus proferam. Alphonsum Siciliae regem, regem omnium id seculi sapientissimum, cùm febricula laborantem lectulus teneret, lectione Curtii gravissimi, de rebus Alexandri Magni, historici, valetudinem, nullo alio medicamento adhibito, recuperasse, gravissimus auctor testatur

status

statut Panormitanus, qui librum eundē regi, animi gratiā obtulerat, idque postea confirmasse Siculum, atque in summa admiratione & pretio scriptorem habuisse legimus. Idem Laurentio Medicæ Forentinæ reip. principi ex suavitate historica felicissimè cōtigisse, testis est Paulus Jovius. Cū enim itidem ille decumberet, ut animum liberali ocio reficeret, ab historiæ studiis oblectationē petebat, ac cū fortē imperatorum nostræ Germaniæ res gestas evolveret, in suavissimam illam obsidionis Winsbergensis memoriā incidit. Non autē possum ipse tam jucundam narrationem hoc loco præterire. Cunradus Imperator, natione Suecus, tertius, cum Guelfo Baviariæ duce, fratre Henrici Superbi, à quo illustrissima Brunsvicensium & Luneburgensium Ducum superstes, asperrimo animo bellum agitabat, tandem que acie victum, & in arcem Winsbergensem elapsum, arctissimaque obsidione cinctum, ad deditiōem Guelfum compellebat. Gerebatur ista anno nostræ salutis supra millesimum centesimo quadragesimo: At quid postea? Belli jure tum ducem, tum reliquos ordinis equestris viros captos & in custodiam missos tradi sibi victor jubebat: Mulieribus verò, que in eodem præsidio cum maritis obsidionem toleraverant, hanc veniam deprecatum egressis concessit, ut ipsæ liberatę, quantū queque possent, humeris rerū suarum asportarent. Mora nulla intercessit: interjecta nulla deliberatio. Rebus omnibus preciosissimis posthabitis, militumque prædæ relictis, viros suos singulæ cervicē suscipiunt, & o spectaculum omnium, quæ Sol unquam vidit, pulcherrimum! extra mœnia dulcissimū onus efferūt, ducis Guelfi uxore, quæ & princeps consili & facti erat, præcedente. Hanc verò, quam recitatam audistis, ex annalibus nostris historiam, cū Italus perlegisset, admiratione fœminæ virtutis accen-

accensus, præ nimia lætitia ac voluptate, quam inde percipiebat, lectulo desiluit, valetudinemque illicò tanquam motu aliquo cœlesti restitutam sensit. Vim verè divinam Historiæ! quam neque ulla harmoniæ Musicæ suavitas, quæ & atræ bilis furorem mitigare, & Ischiadicis doloribus mederi creditur, exuperare poterit! Nemini itaque mirum videbitur, quod ad lacteam Livii historici eloquentiam audiendam, & ad suavitatem ejusdem percipiendam, ab extremis usque Gadibus in Italiam Patavium usque venisse homines memorentur. Quid enim hominis studio dignius, quid viro principi tum utilius, tum honestius, quid universæ reip. salutaris? At neq; ullam mihi aliam disciplinarum partem & scientiam nominabis, quæ majore in auctoritate & precio, majore in laude ac gloria, quàm historiæ studium apud nobilissimos quosque priscae ætatis viros fuerit. Augustum Imperatorem tanta diligentia huic lectioni incubuisse Suetonius testatur, ut inter tot reip. administrandæ fluctus, tot curas inter & molestias domesticas, tum præcepta tum exempla & publicè & privatim conferentia magno numero collegerit. Scripsit idem de vita sua libros perillustres, ut inde exemplum ac imitationem legerent successores, quorum librorum celebritatem maximam fuisse vel ex Ulpiano Jurisconsulto nō obscurè cognoscitur, qui *l. i. ff. de cadav. punit.* decimum Augusti librum allegavit. Cæsaris autem Commentarios dum pervolvimus, nemo nō ambigimus, utrum hominem magis stylo historico, an pilo militari occupatum dicamus. Quid è veteri rep. Pisonem, quid Fabium Pictorem, reliquosq; annalium scriptores proferam? quid eos, qui publicis dignitatibus maximorumque munerum administrationibus relictis ad scribendæ historiæ voluptatem, tanquam ad amœnissimum ætatis suæ portum sese con-

contulerunt? Tantoperè verò annalium scriptor Tacitus, Tacito Imperatori non tam cognominis propinquitate, quàm amplissimarum rerum gravitate complacuit, ut quotannis describendum multis voluminibus, & in bibliothecas imperii hinc inde collocandum singulari mandato curarit. Præfagiit fortè optimus imperator illud, quod postea huic omnium præstantissimo auctori accidit. Nisi enim Germania nostra aurei hujus auctoris fidelissimam curam & custodiam suscepisset, totus ille scriptor cum literariæ rei maximo vulnere interiisset. Nam cum neque Italia tota, neque Gallia, neque in ullis aliis orbis partibus inveniri posset, inventus denuò fuit inter Corbeiensis monasterii in Westphalia pluteos, magnoque precio emptus, & ad Leonem Decimum allatus, qui veluti preciosissimum thesaurum, ut certè est, redivivium, & postliminio in civitatem Latinam reversum, summoperè exosculatus esse perhibetur. Sed quid illa divina & literatissima ingenia longius persequar, quibus honesti amor, historicaque veritatis studium suapte natura & indole, agnatum, insitum, infixum? Barbaros potiùs miremur eandem nobiscum suavitatem, voluptatemque hujus studii omnibus aliis oblectationibus præposuisse. Quid enim, qui avorum nostrorum memoria in Italiam venit Zezimus, Bajazethis Turcarum tyranni frater, cum fraterni laquei metu patriam solum vertisset, gentis suæ historiam inter tot exilii procellas, calamitatumque, quibus jactabatur, æstus, non aliam ob causam perscripsit, quàm ut hujus studii voluptate ærumnarum cogitationes demulceret, curasque suavitatem harum rerum consopiret. Exemplum in hac re secutus ille est Thucydidis, qui cum invidiæ popularis flamma è patria esset ejectus, exilii sui levamentum ab historicis suis Musis quæsit, majorem profectò voluptatem fru-

fructumque foris consecutus, quam si domi caninos reipub. larratus pertulisset, dignissimus sanè Zezimus, qui aut non barbaro sanguine natus, aut eandem, quam Atheniensis scriptor felicitatem & præmium scriptæ historiæ retulisset. Ille siquidem, cum ductor copiarum esset, urbe pulsus & in exilium relegatus erat, historiæ scriptor fuit gloriosè domum revocatus. Sed ne Candidatorum capita, quæ mihi jam dudum aviditate novæ coronæ ardere videntur, ab hederis peritis longiùs suspèdam, velis, quam maxime potero, contractis, ad extremam meæ orationis oram contendam. Prodeant autem, prodeant velim, qui ut nobis crivium canit, sandalium corripere Veneris solent, quibus nihil tam egregium, tam splendidum, tam elaboratum, tam absolutum & integrum, quod non arguant, reprehendant, rejiciant: prodeant, qui veritatis luci, vitæque magistræ, suas nebulas aspergunt. In prima autem acie, qui non unus è multis est, Picus Mirandula occurrit: quid ille? neminem historicorum reperiri ait, qui non aliquid sit mentitus. Huic majore hiatu astipulatur vanitatis assertor Agrippa, *maximè omnium rerum inquit, seriem, fidem, consonantiam, veritatemque historia exposcit, sed minimè prestat; Tam inter se dissentiunt historiographi, tam varia & diversa de iisdem tradunt, ut omninò fieri non possit, quin plurimi illorum mendacissimi, & quæ sequuntur reliqua.* Sed ô boni viri, quid historiæ vitio datis, quod scriptoribus historico calamo abutentibus propriè imputandum? Ideòne vanam & nullius precii philosophiam esse clamabis, quòd philosophorum quàm plurimi absurdissimas opiniones de æternitate mundi, de atomorum confluxu, de summo hominis bono, de Pyrrhonica omnium rerum dubitatione, aliisque sexcentis ineptiis in medium protulerint? Illudnè ex Philosophia, & secundum eam esse

esse dices, quòd contrariùm veræ Philosophiæ habe-
 tur? Ideò Theologiam argues, quòd Theologorum
 tot sententiæ tam diversæ & adversæ inter se confi-
 gant, quòd tot & tantæ hereses inter eosdem gliscant.
 Minimè omnium: Veritas una est, quæ ex se apta, im-
 mutabilis & æterna consistit. Dissonantiam quidem
 Historicorum concedimus: historiæ discrepantiam
 negamus. Inquirendum itaque, in omnibus uti au-
 thoritatibus fieri solet, quis ille sit, qui scripserit,
 qua fide, quo affectu, ac in primis sedulò adverten-
 dum, quid quisq; scripserit. Hic omnis iudicii acies
 adhibenda, ne falsa pro veris obtrudantur, singula-
 que rerum momenta ad normam, ad ordinem & fi-
 dem historiæ, non ad historicorum redigenda. Sed
 quis in hac rerum humanarum caligine tam acerbus
 & iniquus historiarum censor, ut si vel unum puti-
 dum granum, quod inesse omni Punico malo Crates
 Thebanus dixisse apud Laertium legitur, invenerit,
 propterea abjicere corpus reliquum velit? Eo iudi-
 cio damnabimus omnium mortalium opera, omni-
 um scripta. Nihil enim ex omni parte absolutum,
 nihil perfectum, teste rege Israëlitarum sapientissi-
 mo, in omnibus humanis actionibus. An Herodo-
 tum, quem Tullius parentem historiarum appellat,
 quòd ultimis Græcorum tempestatibus veritatem
 historicam primus fuerit persecutus, idcirco totum
 repudiabimus, quòd nonnulla, quæ fidem vulgarem
 excedant, interfuerit? Quæ cum complecti tua
 credulitate nequeas, quòd nunquam ea antea audie-
 ris, nunquam videris, quodque nostris hodiernis mo-
 ribus, nostris disciplinis, nostris regionibus non con-
 venientia, neque nostris viribus & facultatibus asse-
 quenda, idcirco vana & falsa erunt? Athon parens
 Historicorum scribit à Xerxe navigatum; compedes
 Hellesponto injectas, flumina à copiis exhausta. Nò
 credis?

credis? At credis, veritate victus, Belgarum nostrorū naviculas per siccas arenas, tanquam per altum, ventis secundis ferri. Nunquam idem crederes, si Theopompus, aut si Ctesias de rebus Indicis prodidisset. Sed nolo pro Herodoto pugnare pluribus: In manibus est viri doctissimi Joachimi Camerarii oratio, eadem de re instituta, quæ legi ac intelligi poterit. Hoc mihi nunc sufficiat monuisse, quod Bonfinius *decad. 3. lib. 4. Vngar. rerum*, tanquam regulam historicis censendis posuit. *Quodcunque, inquit, fieri potest, & perquam verisimile est, à veritate non potest esse alienum.* Sufficiat nos obtinuisse illud, quod gravissimus auctor Livius tradit: *In rebus inquit, antiquis si qua similia veri sunt, pro veris accipiantur.* Quamplurima enim in veterum monumentis extant, quæ cum nostris auribus fabulosa videantur, veriora tamen sint iis, quæ ad Sagram, secundum proverbium, acciderunt, quod quemadmodum Leonicus explicat, dici consuetum de iis rebus, quæ etsi veræ sint, omnem tamen fidem excedant. Pro fabulis res olim plurimæ habitæ sunt, quæ hodie ex gravissimis auctoribus verissimæ deprehenduntur, & partim à Leone Afro, partim ab Augerio, ut alios præteream, consignatæ. Quis enim credidisset Antipodes esse, quod olim credidisse hæreticum fuit? quis Æthyopes, nisi navigationes frequentissimæ utrumque genus nobis exhibuissent? Quis regnum Chinæ, quod Scalantus & Ortelius descripserunt, Mori Utopiam esse non existimasset, nisi superioribus annis in nostrum orbem deducti ex ea homines essent? Quis, quæ de cæteris orientalis Indiæ miraculis non modò picta, sed etiam insculpta circumferuntur, ad Atlantis insulas, ubi nulla somnia habeantur, non relegasset, nisi experientia certissima eadem confirmasset? Ante oculos & ora nostra cæli lumina versantur, quæ vulgò omnes cum Lucretio

tio

tio non majora esse existimant, quàm esse videantur: Ridentur, qui persuadere artis demonstrationibus velint, terreni globi magnitudinem centies sexagies sexies solari corpore superari. Sed quid ad illa cœlestia miracula digitum intendo? Quàm multa in nobis ipsis ostendi possunt, quæ antequam demonstrentur, falsissima esse putantur? Nisi longitudinem esse trigessimam partem, nariumque foramen centesimam octuagesimam totius corporis partem, quis credit? Illud tamen verissimum esse, Vitruvius *lib. 13. de archit. c. 1.* evincit. Nolim autem, dum hæc pro historicorum fide disseram, quispiam vestrum existimet, me defensionem eorum suscipere, qui de industria, pro libidine & affectu suo veritati nebulas offundat, qui historiam corrumpant, & tanquam Thaiden turpiter prostituant. Nolim audiri istam temerariâ Jovii vocem, promittentis in aula Gallica, testante Bodino, cuivis magnatum certo pretio operam suam in stirpe & genealogia ad Herculem usque genitorem deducenda. Nolim illos in historicorum classe haberi, qui hodiernas nugas & nœnias, Relationum, ut vocant, pagellas circumferant, qui que tot mendacia, quot syllabas venditent. Nolim eos, quibus religionis odio de diversæ sectæ hominibus quidvis spargere & ementiri religio nulla est. Nec mihi illos quispiam historicorum cœtui annumeret, qui in gratiam eorum, quos decantandos susceperunt, panegyricas orationes conficiunt, qui vé funebres conciones ex meris demortuorum præconiis concinnant, qui cœlo usque omnium vitas sine discrimine tollunt, quibus nihil pensi est, utrum vera an falsa posteritati relinquant. Buccinatores ejusmodi sortitus est noster Carolus Magnus Eginardum & Acciaolum: nactus Constantinus Eusebium: adeptus Belisarius Procopium: Trojanus suum Plinium: consecutus Apollo-

nus Philistratum: Carolus Imp. V. Staphylum & Antonium Levam: Cosmus Medices Jovium: Ferdinandus Cæsar Nebrisensem. At illi hunc suæ egregium descriptionis fructum retulerunt, ut neque illis, quæ verè prodiderint, indubitata fides adhibeatur. Longè verò nobis alius Cominæus, alius Guicciardinus est, quorum alter principum quidem suorum virtutes debita laude expressit: Alter tam syncerus, ut nemo ad veterum fidem ac integritatem propiùs accessisse videatur, quem etiam mutilare veritatis intolerantes, nescio qua notâ homines, nullis non technis & artibus adhibitis aliquoties conati sunt. De Sleidano nostro varia sunt ex diversis nata affectibus iudicia, quæ sub censuram revocare, nec loci hujus nec temporis est. Julii Pflugii Episcopi convitium, quod nemini ignotum esse arbitror, prudenti nemo tanti æstimabit, ut quod Possevinus frustra molitus est, fidem omnem nobili auctori detrahat. Sed ne clepsydrae modum egrediar, finem dicendi faciã, ad ingressum lectionum mearum historicarum, quas inter Kalendas proximis, Deo benevolente, auspiciurus sum, reliquis, quæ de hac re dici possunt, reservatis.

O R A T I O VI.

*De Poëtica disciplina laudibus.**Habita Anno 1594.*

INO, qui vendendo student, hederam secundum proverbium proponere solent; merci verò quisque suæ magonium adhibere secundum illud nostri Horatii:

Laudat venales qui vult extrudere merces.

Atque adedò in omnibus ferè nostris rebus & studiis, quæ placere aliis velimus, præconio uti moris est, ut nisi hasta præfixa, nisi corona suspensa, nisi Stentoreæ
 commen-

commendationes auditæ, nisi laudes & encomia præmissa, nisi litui, tubæ & buccinæ adhibitæ sint, sæpè etiam pretiosissima quæque, licet in biviis & triviis prostent, neglectui habeantur. Idem verò etiam liberalibus mercimoniis artium & disciplinarum usuvenire constat, quarum pulchritudinem, suavitatem ac utilitatem, nisi tanquam per Mercurii literas significes, nisi earum ornatum ad meridianum solem exponas, nisi nucleum & medullas ostendas, nisi digito, quod dicitur, ad cælum usque easdem extollas, paucos admodum inveneris, qui ad emporia illarum accedant: audieris ab omnibus qui prætereant, illud vulgare: *Ignoti nulla cupido*. Proinde ex foro & mercatoris tabernis in officinas studiorum tractum institutum & consuetudo est, ut, quam quisq; docendam facultatem suscipit, ejus plenis buccis & buccinis elogium decantet, eoque contendat maximè, ut tanquam filiam suam ornatam & commendatam faciat. Quapropter sacrarum literarum mystæ suggestum suum primò ingressi, Theologiæ divinitatè ob oculos ponunt: fructum & utilitatem lectionis suæ declarant: æternam salutem in suis studiis positam esse rectè docent. Jurisperiti, juris volumina dum aperiunt, justitiæ dignitatem & pulchritudinem depingunt: præmia & honores sui sacerdotii exponunt: non domum, non villam, nedum urbem, nedum regnum & imperium in vita humana sine legibus posse consistere probant. Medici verò artem suam quò non extollunt? originem ejus ad Deos inventores & cultores referunt; nihilque sua arte divinius esse disputant: mortis & morborum victorias in digitis numerant; gloriam sui studii omnibus aliis præferunt: Homericum illum versiculum:

Ιατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀνναξίῳ ἄλλων.

tanquam æternum trophæum & triumphum usurpant. Sed & philosophi gymnasia sua latè aperiunt: ad

fontes suos prætereuntes invitant: hîc veritatis sca-
tebras ostendunt: nihil investigationibus suis fru-
ctuosius, nihil contemplationibus suavius esse con-
tendunt. Ecquid igitur Musarum antistites Poëtæ
faciamus? illotiscné, quod ajunt, pedibus mysteria
nostra aggrediamur? aut cum Zenone sapiente, tan-
quam in senili convivio, taceamus? cur verò non cum
illo potius exclamabimus: Turpe nobis, turpe fuerit,
reliquis sua studia tantoperè prædicantibus, tacere,
& nostra silentio præterire. Si quæ enim in universo
artium & disciplinarum choro studia ulla sunt, quæ
tum suavitate, tum utilitate in omnibus & admira-
tionem & amorem sui excitari possint, Poëtica illa
esse persuasum vobis habete, quorum pulchritudinē,
si, ut Platonis testimonio utar, oculis haurire possi-
mus, desiderium & cupiditatem incredibilem animis
nostris imprimerent. Quamvis autem hæc pulcher-
rimarum rerum indoles sit, ut acquisitum aliunde
pigmentum comptumque foris allatum respuant,
itaque nec opus sit Musis nostris, utpote quibus in-
nata sua elegantia, lepor, gratia instar Solis est, com-
mendatione alterius, tanquam laterna comite uti,
unde plus fortasse caliginis & obscuritatis, quàm
claritudinis inferatur: Nolui tamen, cum ita visum
sit illustriss principibus nostris, ut publicè Musarum
sacra docendi munere in posterum defungar; nolui,
inquam, quod in magnis pompis & illustrioribus so-
lennitatibus fieri animadvertimus, in hoc publicum
scholæ nostræ theatrum, sine tuba & face sponsam
meam deducere. Cur enim non ita Musam meam
appellem, cur eo honore non afficiam, quam mihi
divus Imperator vitæ meæ quasi sociam, ac tanquam
nuptiali annulo & fœdere conjunxit? in cujus deli-
tiis ita acquiesco, ut extra ejus gremium nihil sua-
ve, nihil jucundum, nihil amœnum esse affirmare
non

non dubitem. Idcirco jure hoc meo faciam, ut quæ meū hoc caput coronaverit, præmiisq; affecerit, eandem ego, quibus potero laudibus & honoribus ornē & amplificem. Ea autem illius magnitudo, is splendor est, ut vel gravissimorum Oratorum cothurni minores sint, quam ut dignitatem ejus assequi & persequi possint. Præstantissimæ olim & pulcherrimæ reginæ, quò elegantius, & formæ suæ convenientius sese vestirent, ipsæ suis manibus pallas & stolas suas confecisse, ipsæ nevisse leguntur: Sic à nemine puto, Musarum cultum, præter illas ipsas, quæ par sit, & elegantia & dignitate exprimi posse. Summoperè igitur hîc optarim eam mihi concedi potestatem, quam sibi fieri celeberrimus ille pictor Zeuxes olim postulavit, cūm Crotonitæ Veneris imaginem depingi ab eo cuperent. Quid verò ille? quinq; ex universo ejus civitatis choro, quæ forma antecellerent, ostendi sibi virgines voluit, a quibus quod foret in singulis pulcherrimum, mutuaretur, & in effigiem transferret: Ita novem illas, quas Musas vocamus, præstò esse virgines velim, quæ mihi in suscepta hac causa telam & filum orationis gubernent: quæ in duabus potissimum his partibus versabitur: Primò ad exemplum proxenitarum, afferam in medium omnia illa argumenta, quibus studium Poëticum maximè commendari potest, ejus præstantiam, ejus utilitatem, ejus suavitatem, non quod dicitur per transennam videntam, sed palpandam & degustandam vobis dabo: repellam autem & cavillos eorum, qui idem vituperant, & maculas, quibus vulgo aspergitur, abstergam. Posteriore verò loco, qua ratione ad communis vitæ, tum Ecclesiasticum, tum Politicum usum & comoda transferri & applicari Poësis & possit & debeat, ubi brevibus docuero, finem dicendi faciam. A vobis autem, magnif. illustres genere, ampliss. ac

clariss. viri, ea qua par est, observantia peto, ut, si forte non ea, qua fieri oporteat, dignitate ac elegantia hanc meam sponsam exornavero, non ex me alacritate, sed precio sui & proprio cultu illam judicetis: atque ut in amore moris est, naves, si qui non adeo conspicui sunt, non solum tolerari, sed etiam eosdem amari: ita velim æquo animo perferatis, si quid forte hiulcum, asperum, & crassioris Minervæ filium in hac tela mea intercurrat, idque tum in mei, quem summa semper humanitate ac benignitate profecuti estis, quem in hunc locum vestris quasi humeris & lacertis constituistis, tum in Musarum gratiam, quas hospitas, pedissequas & amicas vestrum nemini non esse dubito, faciatis. Sentio, dum loquor hoc ipsum, sentio, inquam, novam vestræ benevolentiae & favoris auram, qua, si ita vultis, ad exquirendam studii nostri originem, & Musarum, veluti indaganda cunabula, felice tanquam in navigatione, utar. Quod autem primum appellam? quod me conferam? An in Cretam, Jovis patriam? An ad Curetas, qui Jovis cunas custodivisse feruntur? An potius in Delum, in qua Apollo natus? An in Cynthum, in quo sese Mercurius editum gloriatur? Linquo ista humiliora omnia, transeo terrestria: mitto maritima: in illis, quæ cælo viciniora sunt, Musarum patriam quæram. Quis autem certior nobis dux & index fuerit, quam ipsarum filii? Audiamus igitur Orpheum, interrogemus Homerum, credamus Hesiodo, qui illas in cælo conceptas, in cælo natas, & ex cælo mortalibus missas esse fingunt? imò verò rectè affirmant. Nec enim quisquam, ac si pro Romano tribunali hæc res agatur, Poëtarum testimonium tanquam domesticum rejiciat, Romanæ fidei hominem, ipsum Ciceronem gravissimum consulem idem confirmantem adducam; qui non inter lyras, non inter barbitos, nō inter Musarum

larum testudines, nec inter Liberi, ut Plautino verbo utar, flores: verum in amplissimo foro, in publico iudicio, coram gravissimo prætore, cum rem omnium pro Archia severissimam ageret, divina hæc & cœlestia studia pronunciavit. Atq; illi universus omnium Philosophorum, Oratorum omnium, omnium sapien- tum circus suffragatur. Quid enim aliud Poëtæ vo- lunt, cum Jovis filias ex matre Memoriâ procreatas esse novê illas Musas commententur? quid inquam, volunt aliud, quam planè cœlestia hæc munera esse, quæ non ut reliquæ disciplinæ præceptionibus, im- primantur, arte perficiantur, imitatione expoliâtur, sed singulari Dei instinctu & munere animis homi- num infundâtur. Quod cum divinus ille Plato intel- ligeret, neminem posse exclamavit, ad fores Poëticas accedere, nisi cœlesti aliquo spiritu imbutus haberetur. Propterea verissimum est, quod canit ille:

Est Deus in nobis, agitante calefimus illo.

Quamvis enim secundum illud Apostoli, omne lu- men à patre luminis sit, habeantque omnia animi & ingenii dona, suam ex cœlo originem, & ad Deum tanquam unicum fontem sese referant, ex profundi- ore tamen virtute scaturire, & à diviniore penetrali proficisci rectè illa dicuntur, quæ comparata cum aliis propè sola cœlestia esse videantur. Nam si ad ho- minem transferre rem velimus, cætera quidè omnia in cerebro nasci: hæc verò ima mente, tanquam in diviniissima parte, oriri, arbitremur. Nulla enim stu- dia sunt, quæ majore vi mentis peragantur, quàm di- vinæ illæ Poëtarum meditationes, quas Jovis filias ap- pellamus. Propterea, si Varroni fidem habemus, Va- tes nuncupari sunt, à vi mentis, qua illi plus quàm quicquid aliorum hominum est, pollere intelliguntur. Nam quod Deorum proprium est, illud etiam cum Diis Poëtæ commune habent: vaticinantur, futura præ-

sciunt, oracula dicant. Animadvertit hoc etiam sobria illa antiquitas, quæ genus esse Deorum, & ex cælo lapsos poëtas judicavit: agnoverunt sapientissimi quique eam in poëtarum dictis divinitatem, ut etiam loco oraculorum scripta illorum habuerint. Quid enim dicam de fortibus ex Homero nostro petitis, cum jam in eam venerationem hominum monumenta ejus venissent, ut in rebus fractis & dubiis, tanquam tripodes, & libri Sybillini consulerebantur. At qui ne fortè aniles ineptias me loqui existimetis, Socratis, qui sapientissimus judicatus est, exemplum percipite. Quid ille? Cùm secundum quietem audisset recitari illum versum Homericæ Achillis:

ἡματι κεν τετάρτῳ φθίνῃ ἐρέβωλον ἰκοίμην.

Quem si vultis, ex versione Ciceronis *l. i. de divin.* ita habete: *Tertia te Phœtia tempestas læta locabit*, hunc versum, inquam, cùm audisset, intellecto rei portento, die se tertio moriturum Æschini prædixit: dixit, & evenit. Sed & M. Brutus vir integerrimus, cùm belli Pharsalici aleam præscire gestiret, non ut Cræsus quondam fecerat, in Delum, ut sciscitarentur Apollinem, legatos misit, non ad avium volatus & garritus se convertit, non Carmentæ folia adiit: sed animum ad Homericæ volumina, tanquam ad oracula appulit, quæ quasi præmonerent, interitum certum denunciabant. Versus oblatus erat ille, Patrocli moribundi Hectorem alloquentis:

Ἀλλὰ με μοῖρ ὀλοή κ' ἠητοῦς ἔκτανεν ἼϞ.

Me fera parca ferit, saevusq; trucidat Apollo.

Versus verus judicatus: ille verò eversus est. Atque eò tandem honoris Homericum carmen venit, ut jam fasces & secures, purpura & diadema, imperium ac regnum, non, ut olim Romuli religio fuerat, a vulturibus aut aquilis peteretur, neq; de ea re augurum

rum collegia consulerentur, sed à sortibus Homericis futura docerentur. Fecerat, ut unicum exemplum adducam, ejus rei periculum Opilius Maerinus, cui cum obtigisset ille locus Homeri:

ὦ γέρον ἢ δὴ σε νέοι τείρουσι μάχηται.

Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δὲ σὲ γῆρας ὀπάζει.

O senex certè multum jam te juvenes fatigant milites, tua autem fortitudo soluta est, difficilis verò te senectus premit: haud obscurè ex eo illud intellexit, quod brevi exitu ipse suo comprobavit. Cùm enim jam ætatis exhaustæ esset, mensesque duos tantum modò ultra annum imperasset, ab Heliogabalo admodum juvene & regno & vita privatus est. Atque ex his intelligitis, auditores, cur tanquam peculiari, ut vocant, epitheto, divini poëtæ appellentur, quòd calamum suum non terrestri aliquo atramento, sed cœlesti virtute tingant: quorum etiam scripta non modò de præteritis ac de præsentibus loquantur, verùm etiam futurarum rerum arcanam scientiam complectantur. Ne quis enim solum Homerum, à quo, ut ait ille:

— *ceu fonte perenni*

Vatum Pieris ora rigantur aquis.

tanquam Apollinem & oraculum suscipiat: reliquis verò ejusmodi divinitatem esse neget: idem de aliis judicatum, idem in aliis comprobatum, idem confirmatum esse, paucis si attēderitis, docebo. Quid enim Adrianus doctissimus ille imperator? cùm Trojani erga se animum & judicium scire averet, Virgilianum carmen consuluisse legitur, cui illi ex lib. 6. *Æn.* versiculi:

*Quis procul ille autem ramis insignis oliva
Sacra ferens? nosce crines incanaq; menta
Regis Romani, primam qui legibus urbem*

*Fundavit Curibus parvis & paupere terra
Missus in Imperium magnum.*

imperium scilicet carmina promiserunt, imò in illud magnum imperium hominem miserunt. Fuit idem noster Poëta divinus Alexandro Severo Imperatori imperii supersticiosus quidem designator, verus tamē aruspex. Cùm enim ille sortes ejus consulisset, parvulus etiã tum, incidisse in hunc versiculum dicitur:

Te manet imperium cœli terraq; marisq;

Ecquis hic non Pythium, non septem illas Sybillas præ Mantuano illo oraculo contempserit? Fecit hoc Claudius ille Imperator secundus laudatissimus, qui non tantùm fidei lituo augurali, quàm lituo Virgili-ano habuit. Ille enim cùm de vita & regno suo Poëtæ nostri sciscitaretur vaticinium, sortitò nactus est illum ex lib. 6. Æn. versiculum:

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

Quod quidem verè ipsi contigit: Triennale enim imperium non complevit. Quæsierat idem de fratre Quintillo, quem imperii consortem habere desiderabat: Sortis loco ille ex 6. Æneid. prodiit:

Ostendit terris hunc tantum fata:

Atqui hoc ut dictum, ita factum est: Decimo enim septimo imperii die, cùm vix ostensus esset imperio, interemptus est. Possem sexcenta alia ex ejusdem nostri Apollinis foliis similia oracula afferre, possem Musæum aliosque Poëtas, quibus idem honoris habitum, in quibus eadem divinitas perspecta, quorūque carmina tanquam cœlitus, ut ancilia illa Romana delapsa, in delubris religiosè observata, in templis culta, & pro oraculis habita sunt. Possem, si opus sit, pluribus argumentis divinos, aut, ut Ennius eos vocat, sanctos esse Poëtas, asserere. Sed vereor ne abutar vestra aura, quam modò mihi concessistis & auribus. Unum verò hoc omittere non possum, quod
Poetas

Poëtas Deorum filios esse evidentissimè demonstra-
bit, cùm deorum singularem protectionem, curam
& amorem erga se ipse percipiant, aded, ut imminē-
tibus periculis sæpenuerò alii sint erepti, alii ex
mediis fluctibus non sine miraculo liberati, alii ex
præsensibus casibus manu ipsius Dei extracti. Quid
enim Simonidi Poëtæ accidit? qui cùm apud hospi-
tem suum in Thessalia cum multis aliis cõvivaretur,
deorum monitu solus triclinii ruinam effugit. Ario-
nis autem discrimen omnibus notum est, qui, cùm
partis studio suo pecuniis Corinthum navigasset, &
à naviculariis spoliatus, & in mare præcipitatus esset,
à Delphino (Dei auriga fuit) exceptus & conservatus
est. Accedit hoc, quòd ipsi etiam dii ultores exstiterint
injuriarum, si quæ Poëtis illatæ fuerint. A latronibus
interfectus erat Hesiodus, cadaver ejus in mare pro-
jectum, Delphini illud revexisse feruntur: Occisores
verò fuga navali arrepta, naufragio (Dei tempestas
erat) perierunt. Ibyci verò grues quis ignorat, quæ
jussu Dei, Poëtæ necem detexerunt & vindicarunt?
His itaque quæ dicta sunt, rectè intellectis, neminem
fore arbitror, qui tanquam somnium & deliramen-
tum Poëtarum consuetudinem illam irrideat, cùm
in operum suorum exordiis invocationem ad Musas
instituant, easque ex cœlo descendere jubeant. Scio
esse quosdam, qui in Christianis vatibus hoc maximè
reprehendant, qui, quamprimùm è cœlo vocari Mu-
sam audierint, aures avertant, libros abjiciant, & tan-
quam Sirenas fugiant, deniq; impietatis, ut illis vide-
tur, damnent. Qui homines, nescio utrū ita illiterati
sint, ut Musarum nomen nec intelligant, & ob id fer-
re nequeant: An verò aded iniqui erga Musas, ut è
cœlo deturbare eas velint. Gentile nomen esse cla-
mirant, & propterea Christianorum & lingua & aure
indignum. Removete igitur hoc argumento omnia
omnium.

omnium artium nomina, omnes scientias tollite; omnes disciplinas ejicite; à gentibus hæc omnia sunt inventa, a gentibus primùm exulta, à gentibus accepta. Quasi verò nomen ullum profanum sit, res cum sit sancta & gloriosa. An verò ob id Musas obliterandas esse censes, quòd tanquam Deæ priscis habitæ & cultæ sint? Noli verò illud Musis, sed moribus temporum ascribere. Quamvis mihi nemo persuadeat, divinos illos Poëtas adedò cæcos fuisse, ut quas sciebant meditationes & instinctus esse, deos, & numina esse peculiaria crediderint. In parietibus templorum, in aulæis, in tabulis, in peristromatis, in tapetis Fidem, Spem, Dilectionem, Temperantiam, & id genus virtutes virgineo habitu depictas tanquam Deas toleramus: quid ni Poëtis, quibus eadem cum pictoribus potestas est, licentiam eam concedemus? Quis verò adedò vittas & pallas exhorret, quis virgineas formas adedò averfatur, ut Musas nostras eo cultu & vultu videre nolit? Quas idedò virgines illarum amatores fecerunt, quòd nihil impurum, nihil Fescenninum, nihil fœdum, nihil Oscum ex fonte Poëtarum manare voluerint; omnia sint in carmine tersa: polita omnia: omnia compta & splendida. Quod si his igitur virginibus cælo interdicerere volueris, dic mihi, quæso, quibus machinis alteram illam è cælo deturbabis, quæ Solis hospita est, & inter duodecim signa cœlestia collocatur, quæ præter spicam nulla arma habet, quibus resistere tibi possit? Leonem enim non facilè aggredieris, nec Tauro viam intercludes, nec Arieti occures: nec Cancrì chelas apprehendes: Piscibus, si cum Pythagora lapis, manus abstinebis, ne Jonæ periculum experiaris. Atqui & hæc omnia gentilia sunt: ab Ethnicis nomina syderù cælo imposita: quæ si Christiano cælo non adimimus: & si Christianis diebus Martis, Jovis, Mercurii &

Venc-

Veneris nomina ac honores concedimus, si denique neque Orionis, neque Plejadum, neque Pacis, neque Concordiæ, neque Eventus, aliaque infinita deorum dearumque gentilium nomina literarum sacrarum divinitatem profanant, si neq; ἄδου vocabulum sanctissimum Apostolorum symbolum contemerat: quæ superstitione, quæ invidia, quæ iniquitas, Musarum nomina carminis usu, in quo tanquam artis termini adhibentur, excludere, cæloq; omni interdiceret? Uode cum originem habeant, eodem eas remitto, & in terram me recipio. Hic verò quos honores, quæ præmia, quas dignitates, quæ munera ostendam, quibus Poëtæ affecti & cumulati sint? Ut enim hoc studium antiquissimum: ita præstantissimum à primordiis suis habitum est, utpote è cuius fontibus omnium cæterarum facultatum & disciplinarum rivuli hausti & deducti sunt. Cum enim omnia rudia, inculta, vitæque aspera essent, nondum mœnia, non urbes, non domus, nondum tuguria ulla starent, nec leges, nec mores, jus aut fas ullum inter homines floureret; Musæ ecce filius ille à matre informatus, cælitus instinctus & edoctus, prodit, de quo hoc canit Horatius:

*Sylvestres homines sacer interpresq; Deorum,
Cædibus & victu fædo deterruit Orpheus,
Dicitur ob id lenire tigres rabidosq; leones.*

Inde primùm honores huic studio haberi cæptum est, soli q; jam Poëtæ urbes condebant: respubl. constituebant: leges proponebant: præmiis justos afficiebant: pœnas nocentibus infligebant: & aurea illa secula instituebant. Atque hoc est, quod idem Horatius cantat:

*Dicitur & Amphion Thebana conditor urbis,
Saxa movere sono testudinis, & præce blanda
Ducere quo vellet, &c.*

Jam

Jamque in eam admirationem sacra Poësis venerat, ut reges & principes, summiq̄ue Heroes eam amplecterentur, & colerent, studiumq̄ue ejus maximè promoverent. Jam Hercules Lino Poëtæ erudiendus tradebatur: Jam Perseus rex Mycænarum Poeticam scholam propè montem Parnassum condebat, & illum fontè omnium doctrinarum (de quo celeberrimus in fabulis sermo est) aperiebat: Jam Ptolomæus Ægyptius in aulam Poetas recipiebat, septemq̄ue illos (quos Plejades Græciæ vocarunt) sibi familiarissimos faciebat: Lycophronem Anagrammatismi inventorem magnis muneribus ornabat. Jam Æschylus & Simonides apud Hieronem florebat: Jam Dionysio posteriori Philoxenus: Jam Antigono Macedonum regi: Antagoras Rhodius & Aratus familiares erant. Quid verò vobis Alexandrum illum Magnum producam? qui aded delectatus fuit his studiis, ut Homericeam Iliadem viaticum militiæ suæ dixerit: quam vigilans nunquam è sinu deponebat: dormiens nunquam deserebat, sed sub pulvino suo positam tanquã individuum comitè & sociam vitæ habebat. Cui cum ex Darii Regis thesauris pretiosissimum scrinium offerretur, in quo uniones ac margaritæ asservabantur, dignum id esse ajebat, in quo præstantissimi Poëtæ scripta reponerentur. O dignum tanto rege judicium, dignum quod omnium hominum memoria celebretur! Audiant hoc illi, audiant & erubescant Poëtarum paginas contemnere, qui ad Indiam & Arabiam, ad Pharmacopolas, ad aromatum & piperis emptores carminum libros mittere malint, quàm eas legere. Similes profectò gallo illi Æsopico, qui gemmam, qua uti nescit, negligit, & granum frumenti præ hyacintho eligit. Sed quorsum me abripit hæc indignitas? Ad Alexandrum summum illum Poëtarum patronum revertar, cujus lacrymas præterire nequeo.

nequeo, quas in tumulo Achillis effudit, quem ob id felicem exclamabat, quod Homerum virtutis suæ præconem nactus esset: at quid lacrymæ? testes erant affectus & doloris, quem ex desiderio tanti scriptoris concipiebat. Hoc enim omnibus animis generosis & virtute præditis inditum est, ut tanquam sibi affinem & cognatam hanc artem ament & venerentur, cum nominis sui æternitatem non tam in statuis & colossis ac marmoribus consistere posse, quam carminis celebritate conservari intelligant. Consideravit hoc Hercules, qui cum Musis pactum hoc iniisse dicitur, ut illæ, quas armis defenderet, suoque patrocinio tueretur, res suas præclarè gestas, laboresq; exantlatos æternæ scriptorum memoriæ commendarent. Aded verum est illud quod dicitur:

Carmen amat, quisquis carmine digna gerit.

Amarunt eam ob rem, ut à Græcis ad Latinos veniã, antiqui Imperatores Romani tantoperè suos Poetas, ut eos perpetuos comites habuerint. Ennius itaque à latere Scipionis, dum vivebant uterque, nunquam discessit: nec mortuus à mortuo separatus est, sed uterque in idem monumentum collocati. Virgilius & Flaccus cum Augusto cœnant: cum eodem peregrinantur & ambulant, in dè verò universus pop. Roman. auditis Maronis versibus, tanquam cœlesti aliqua tuba, assurrexit, præsentem que Poetam, quasi Augustum ipsum, in theatro veneratus est. Quod verò omnium maximum est, tantus Romæ honor Poetis habebatur, ut non aliter ac Imperatores, si qui Parthos & Persas devicerant, si Volscos superarant, si signa amissa retulerant, si Romanos fines amplificarant: ita etiam Poetæ, si quod opus memoria dignum ediderant, triumphali curru, laurea incincti, plausu totius populi comitante, in urbe circumveherentur, statuae iisdem ponerentur, non quidem aliam ob causam.

causam, quàm quòd res præclarè gerere, & res præclarè gestas præclarè describere, in eodem laboris & laudis momento prisca illi sapientes reponerent. Atque tum quidem studia hæc florebant, cùm Poëtarū collegia non nisi à potentissimis & Illustrissimis Principibus civitatis frequentarentur, cùm duo illa summa capita, Julius & Augustus ascribi in numerum Poëtarum voluissent: Quorum ille non generis sui claritatem, nō potentiaē splendorē tanti fecit, quanti præstantiam hujus studii. Nec enim volebat ab Actio, quem meliorem sese in carmine scribendo esse noverat, assurgendo sibi honorem exhiberi. Exhibebat ipse tum huic, tum aliis, quos superiores ingenio & studio illo animadverterat. Alter verò ipse in publicis spectaculis artis Poëticæ specimina illustra fecisse legitur, cujus benevolentia & amor erga Maronem & Flaccū magis ferè ipsum, quàm purpura & fascia imperialis nobilitavit. Longiùs foret catalogū instituere eorum principum, & regum ac imperatorum, qui Poëtica studia non solùm amarunt, & eorū cultores summis præmiis & honoribus ornarunt, verùm etiam ipsi tractarunt, nomenque ac titulos ab iis sibi compararunt. Theophanem mihi à Pompejo civitate donatum videte: Terentium juxta Scipionem in curru triumphali pileatum spectate: Oppianum planè aureum factum ab Alexandro Severo imperatore aspiciate: Vespasianum maximis muneribus Poëtas allicientem cognoscite: Titum medias inter Musas sedentem, scribentem, meditantem intuemini: Claudium Imperatorem ad cathedram Nonniani Poëtæ properantem contemplantini. Sed quid veteribus exemplis immoror? Carolum Magnū inter armorum strepitus, inter classica & equorum fremitus, Poëticiis studiis vacasse, carmina dictasse, versus scripsisse accepimus. Vivunt etiamnum ipsius
lugu-

lugubres nœniæ, quibus Rolandi mortem profecutus est. Ut autem alios præteream, Carolum Quartum, qua laude supra Pegasus ipsum, qui intra sydera volare cernitur, extollam? Hic enim est ille, hic est, qui cum jacere hæc studia, tenebris & barbarie Gothica oppressa animadverteret, nulla re alia inflammati, & in novum vigorem reduci artes posse intellexit, quàm si præmia & honores ipsarum cultoribus constituerentur. Artes enim, ut cum illo exclamem, honos alit, honos propagat, omnesque accenduntur præmiis. Novas igitur Carolus dignitates, nova ornamenta, privilegia, favores, præminentias Poëtis proposuit, quos ab ipso Imperatore laurea coronari, annulo decorari, insigniri & nobilitari voluit. O divinum erga divina studia beneficium! quod omnia illa Olympici Gymnasi præmia & bræbea superat: omnes illas athletarum veterum coronas vincit: omnia illa Pompejani theatri munera à tergo relinquit. Quis enim tum ferè ex tota Germania exultantes Musas quasi postliminio reduxit? Carolus. Quis humaniorum artium fontes musco & squalore obfictos pristinae celebritati restituit? Carolus. Quis illum contra Gorgoneam barbariæ gladium tum temporis ferè amissum, recoxit & expolivit? Carolus. Vos Germaniæ fluvii, vos colles & nemora, vos, inquam, testes hujus rei nomino, quibus ante hæc tempora, inaudita erant tersioris Musæ poëmata, miraculo habebatur, esse quempiam, qui quasi ex Ascraeis montibus, aut ex Elysiis campis, aut ex Orphei familia reversus, carmina more antiquorum pangeret. Quantam enim sui admirationem Conradus Celtes apud omnes Germanorum provincias excitavit, cum Poëtæ nomen & titulos usurparet? Prophetam plerique aliquem ex veteribus receptum opinati sunt. Primus etenim ille extitit, qui inter Germanos co-

rona Poëtica ab Imperatore Friderico III. insignitus est. Nec Germaniæ solū, sed totius etiā Italiæ oculos in se converterat Æneas Sylvius, cū legatus P. P. lauream ab Imperatore Friderico III. nō procul hinc ad Francofurdū acceptam circumtulisset, quem, ut ipse fatetur, Musarū calamus & Pegasi Poëtici alæ ad maximas illas dignitates, quibus functus est, & ad summū Ecclesiæ Romanæ fastigiū, evexit. Carmine enim ille primū Imperatoris favorem aucupatus est; carmine in clarissimorū hominum gratiā & amorem ac intimas necessitudines receptus est: quibus tanquam ansis & fulcris ad obtinēda quælibet beneficia ac ornamenta postea usus est, imitatus hederæ naturam, quæ cū fractior & imbecillior sit, quàm ut suis se viribus erigere & sustentare possit, altioribus sese pampinis & ulmis involvit, involuta arctius se astringit, atq; hoc modo per amplexum ab infimis ad suprema arripit. Carolum verò illum nostrū Quartum in eodem studio diligentissimè imitatus Maximilianus I. quid verò ille? ut abolitā, quemadmodū ipse Imperator his verbis loquitur, prisca seculi eloquentiam restitueret, more veterum Imperatorum in Viennensi Gymnasio singulare Poëtarum Collegium instituit, illudq; privilegiis maximis ac ornamentis condecoravit, hac potestate Poëtices & Oratoriæ professori Cufrado Celti, Collegii præsidii, ejusq; successoribus concessa, ut quos dignos divini studii præmio judicaret, lauream imperiali coronaret. In manibus nostris Cæsarei privilegii pagina etiamnum versatur, qua Poëtices studium & exercitium non modò universitati Viennensi singularem accessionem allaturum; sed etiam universæ reip. Germanorum præcipuo decori & ornamento futurum, Augustus verissimè testatur. Quorsum autem me orationis hujus vela abripiunt? Græciam enavigavi: Poëtas cum regibus ambulantes

bulantes, cum principibus familiariter colloquentes, cum Imperatoribus convivantes offendi. Italiam perlustravi: Poetas sedentes in solis, in senatu, in summis Cathedris Paparum aspexi: ad Danubium & Mœnum veni, Poetas ab ipsis Imperatoribus coronatos & insignitos percepi. Unum mihi superest regnum, in quo, ubi ex Poetis olim reges factos esse ostendero, ad portum me convertam. Quid enim de Dania vobis, auditores, loquar? rem multis fortasse incredibilem, nisi magna magistra illa temporum historia rem sua auctoritate tueatur, Regem illa suum communi moriendi lege amiserat: heres, qui succederet, nullus relictus erat: interierat omnis regius surculus: Regnum sine capite stare diu non poterat: Comititia indicuntur, vota & suffragia audiuntur: Sententiae distrahuntur, favores diversi & adversi oriuntur. Id vero tandem omnibus placuit, ut qui regem demortuum honoribus omnium maximis afficeret, in vacuum ejus solium & regnum succederet. Quam varia hic putatis esse honoris habendi suscepta certamina? hic marmoreas statuas ponit, ille immensae magnitudinis colossos erigit, alii ex auro regis imaginem sculptunt, alii monumenta & mausolea ex lapide pretiosissimo aedificant. Unus autem, ecce, prodiit, qui cum defuncti laudes carmine complexus esset, omnium sententia, ceterorum operas, industrias, sumptus & labores superasse judicatus est: quandoquidem nihil in marmoreis statuis foret diuturnum: nihil in colossis perpetuum: nihil in sculpturis perenne: nihil in monumentis & Mausoleis durabile. Carminis vero gloria ad omnem posteritatis memoriam sola perveniret. O dignam vel ipso Catone sententiam, dignos felicitate regni perpetua, qui illa eodem modo recte intelligitis & judicatis. Atqui judicaverunt de re eadem similiter non sine summae prudentiae ac virtutis

laude veteres Argentinæ Ecclesiæ Antistites. Quid
 verò illi ? Cùm Utho illustris ex Franconia comes,
 maximus literarum bonarumque artium amator, li-
 brorumque, qui etiamnum in urbe superstites sunt,
 diligens collector, Episcopatum unà cum vita reli-
 quisset, Erchembaldus vir doctus, & ut ea ætas fere-
 bat, non inelegans poëta, successor ejus designatus
 fuit, multisque aliis competitoribus prælatus, quòd
 Episcoporum omnium antecessorum suorum vitas
 carmine complexus esset, atque idcirco meritis im-
 mortalibus ceteros anteiret. Sic me profectò dele-
 ctant illi honores, qui Poëtis hætenus habiti sunt,
 ut quod columbis accidere dicunt, idem mihi prope-
 modum eveniat. Illæ enim ubi in leguminis quod-
 dam genus (craccam appellant) inciderunt, suavitate
 ejus captæ, pelli ex agro, in quo satum est, ægrè pos-
 sunt. Et mihi jam dudum Grachi fistula opus fuisset,
 quæ exspatiantem licentius revocasset. Mitto ergo
 hæc, & ad ea quæ dicenda restant propero. Brevibus
 autem (juvate me vestra gratia & benevolentia) reli-
 quum cursum perficiam. Cùm enim nihil hætenus
 præter præmia, præter honores, præter dignitates,
 præter coronas Poëtarum audiveritis : Non satis id
 esse aliquis dixerit, nisi merita etiam illorum in me-
 dium attuleris. Possent vel quadrupedes coronari,
 possent in cathedras collocari, si in habendis hono-
 ribus nihil aliud quàm aures bruti spectaveris. Pro-
 dite, ubicunque nunc estis, Musæ, prodite, & cau-
 sam vestram ipse agite. Audite verò unam ex omni-
 bus de utilitate & suavitate Poëtica in hunc modum
 loquentem : Quisnam, inquit, inter homines adedò
 inhumanus & ferus est, quis tam duræ, tam cyclopi-
 cæ & Batavæ auris, ut quæ in universos mortales
 contulerimus commoda, quos omnia regna & im-
 peria fructus & emolumenta à nobis acceperint,
 non

non audierit, dulcedinem nostram non perceperit, delicias non degustarit, voluptates non senserit? Atqui saxa, feræ & solitudines voce nostra flexa sunt: flumina cantu nostro attonita steterunt: venti lyræ nostræ silentium præbuerunt: Aquilo & Boreas conticuerunt: Ego enim illa sum, quæ prima mœnia condidi: lapides coëgi. sylvas loco suo movi: Ego illa sum, quæ montes traxi, leones duxi, tigrides permulsi. Meæ erant illæ apiculæ, quæ Platonis, quæ Stesichori, quæ Pyndari labiis infederunt. Mea erant illa mella, mei succi, meæ medullæ, quas illæ pueris ingesserunt. Mea, mea, inquam, erat illa buccina, quæ Spartanis contra Messenios victorias peperit: Mea erant illa Tyrtæi ad exercitum hortamenta, mea consilia, mea solatia. Mea erat illa tuba, quæ Alexandrum Magnum ad arma excitavit: meum erat illud viaticum, quo bellum sustentabat. Cythera illa mea erat, quæ Achillis iram frangebatur, dolorem leniebat, desiderium molliebat. Ego Arioni meo illam testudinem dederam, quam Delphini admirati & secuti sunt. Meus erat ille filius, de cuius patria septem illæ urbes contenderunt, quem Colophonii suum, Sмирnæi suum, Rhodii suum, Salamines suum esse clamarent. Meus ille est, qui licet cæcus fuerit, lumen tamen ad rerum omnium cognitionem præbuit. Atqui ille est, quem Imperator ille magnus in suis legibus parentem omnis virtutis appellavit. Mea erat illa Solonis cantio, quæ Atheniensibus Salaminem insulam recuperavit. Ego Periclem & Sophoclem Poëtam ad Atticæ reipub. clavum collocavi. Ego eundem obeundis belli muniis præfeci. Ac ne Ethnica omnia loquar, exemplis sacris non destituor. Ego enim illa sum, quæ Jehovæ Opt. Max. Ægyptiis copiis mari submersis, epinicion illud amabile cecini: Ego sum illa, quæ Davidi sacrum illud plectrum de manu in

manum porrexi. - Ego sum illa, cui Isidorus Psalmo-
rum libros ad Pyndari metrum conscriptos, acceptos
refert. Ego sum illa, quæ malos spiritus ago, pello,
turbo, reprimo. Ego Salomoni tot millia carminum
dictavi. Ego cum illo ad hyssopum usque è pariete
nascentem disputavi; Nec Dei magnum illud orga-
non Paulus, Menandrum meum neglectui habuit,
nec Epimenidem meum non legit. Meus est ille quem
Augustinus in suam civitatem recepit, quem opti-
mum & præstantissimum omnium appellat: ille verò
meus Virgilius est, quem idem gravissimè asserit à
teneris ebibendum esse annis, ne oblivione possit
aboleri, secundum illud Horatii:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem

Testa diu.

Quo igitur nomine eos appellem, qui utilitates, qui
suavitates mei studii non agnoscunt? nō terræ solùm,
sed etiã ponti inutilia pondera esse dicam. Ipsa enim
maria dulcedinem meam audiverunt: pisces eam se-
quuti sunt. Nemo adeò ferox, nemo tã barbarus ex-
titit, quem non mea venustate emollierim. Ego Ma-
riũ nulli ferè mortaliũ tolerabilem ita carmine meo
flexi, ut Poëtã meũ L. Plontium summa humanitate
cõplexus sit. Ego Polycratem tyrannũ Samiorum ita
temperavi, ut Amacreontem in delitiis & sinu habe-
ret: Neronẽ, qui bestiis propior erat quàm homini-
bus, mea suavitate eò pellexi, ut solo cultu & usu mei
studii hominẽ se esse probaverit. Ac vide quanta mea
virtus, quãta vis in hostibus etiam asperrimis in gra-
tiam reducẽdis sit. Theodolphus Aureliensis Episco-
pus cõjurationis in Ludovicum Pium Imperatorem,
reus, in carcerẽ coniectus erat: nulla spes vitę, nedum
liberationis erat. Quamvis Litæ cœlestes pro illo in-
tercessissent, hominẽ non redemissent. Venerat dies,
quã Palmarũ vocant: Solennem festivitatem ejus fe-
sti Im-

sti Imperator obiit, carcerem, in quo Episcopus erat, præterit. Ego tum illi carmen illud instillavi, quod in omnibus Ecclesiis celebre etiamnum est:

Gloria, laus & honor tibi sit rex Christe, redemptor,

Cui puerile decus promisit Osanna pium:

Israel es tu rex Davidis & unica proles,

Nomine qui Domini, rex benedictæ, venis.

Ille hæc cecinerat: Imperator audita dulcedine pii carminis ita captus est, ut meum illum captum dimiserit, & in gratiam receperit. Ecquis igitur dubitabit adhuc de veritate ejus verbi, quod expressit meus Horatius:

Et prodesse volunt & delectare Poëta.

Satis se fecisse vobis, auditores, Musa nostra arbitratur, nec fore quemquam, sibi persuasum habet, qui unguis contra se armare, & alia tela acuerit velit. Hostes enim quos habeat excogitare quidem non potest. Philosophis se amori esse novit, utpote qui Musarum fontibus quotidie utantur, Musarum flores quotidie carpant, & in suas areolas transferant. A Poëtis enim Philosophi didicerunt rerum arcanarum causas: varias mutationum vices observarunt: à Poëtis ventorum ortus, annium fluxus & refluxus, plantarum & planetarum situs, vires ortus & occasus, omnia stellarum nomina Philosophi à Poëtis habent. Quin & terrarum limites, regionum distantias, gentium mores & origines, diversas animantium naturas, Poëtæ primùm explorarunt, primi in Philosophorum scholas deduxerunt. Philosophi fatentur cum Horatio vera esse illa, quæ de Homero ex Horatio canuntur:

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non

Plenius, & melius, Chrysippo, & Crantore dicet?

Fatentur Philosophi cum Macrobio, Homerum

KK 4 omni-

omnium divinarum inventionum originem esse: prædicant eundem cum Plinio, ingeniorum omnium fontem: cum Strabone Geographiæ, cuius ignaros philosophorum princeps Plato à foribus Academiæ arcebat, parentem nominant. A medicorum autem scapello tantum abest, ut sibi quid Mula metuat, ut potius, si quid vulneris ab aliorum in se coniectis telis acceperit, habeat eos solos, qui remedium & opem afferant. Si enim beneficium est lumen à lumine accendi, ut revera est, nunquam non erga Poëtas medici gratissimi reperientur, è quorum hortulis tot genera herbarum, è quorum scriniis tot pharmaca acceperunt. Vultis enim Homeri narthecia vobis aperiam? vultis vobis ostendi nullam medicinæ partem ab illa non probè cognitam & tractatam? vultis pestis & febris causas ex illo monstrari? Apollinem, quem solem intelligimus jaculantem tela pestifera cognoscite, de canicula febres pariente hunc versum intelligite: (τοῖσι καὶ τὸ φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι. Sed & morbos chronicos & acutos apud eundem invenietis: ex eodem assam carnem salubriorem esse discetis: nimium somnum, noxium esse legetis: laborem in tuenda sanitate cibos præcedere: concubitum melancholicis prodesse, percipietis: taceo Moly, lothum, crocum, hyacinthum, asphodelon, salicem ὠλεσίκαρπον, idq; genus plurimas herbas. Taceo Vergilii caltham, dictamnium, Panacæam, Cithisum, Cedrum & Galbanum. Eò autem vos æquiores, eò placatiore, medici, erga Poëtarum familiam præstabitis, quò junctiores hæ duæ disciplinæ, Medicina & poësis fuerunt, quæ unum antesignanum, unum inventorem Apollinem habere finguntur. Numerare vobis vel sexcentos possem, qui & Æsculapio & Musis eadem opera inservierint. Melarapodem primum nomi-

nomi-

nomiabo Poëtam & Medicum vetustissimum, qui multa millia versuum de Saturno, de raptu Proserpinae, de luctu Cereris conscripsit. Eò autem ille gratior medicæ familiæ est, quò pretiosioremedendi artem reddidit. Non enim ille minas, non talenta, sed maxima regna à regibus pro valetudine restituta poposcit & obtinuit. Non omitram Aratum, non Alcæum, non Democritum, non Æmylium, non Marcrum, non Petricium, non Silium Italicum præteribo, non Petronium, non Qu. Serenum, non Fannium, non Aufonium, non Empedoclem, pluresque alios, qui utramque Apollinis artem magna cum laude pertractarunt. Quid verò Jcti, vestra tribunalia, putealia, curias, Rostra, secures & fasces Musæ metuant? Minimè verò, puto, cùm tanto honore Imperator vester Poëtas afficiat, ut illorum parentem Homerum, parentem omnis virtutis appellet, Vergilium verò modò optimum, modò præstantissimum nuncupet: Homerum tanquam arbitratorem, judicem & censorem permutationibus & venditionibus adhibeat. Quæ verò necessitudo, quæ affinitas unquam inter ullos artium cultores, quam inter Poëtas & Jctos major extitit? jubetis eorum Catalogum institui, qui indissolubili quodam vinculo Musas cum legibus connexerunt? Producam ex medio Poëtarum agmine in forum Cottam vestrum, de quo Nasonis illud est præconium:

Numen Pieridum præsidiumq; fori.

Producam Modestinum? ubi verò virum inveniam? utrum inter arma virosque Vergilii? an verò inter ipsos forenses strepitus, carmina hæc fundentem:

Legatus damni infecti promittere debet.

Producam Cæcilium Gallum? Producam Cajum? Atque hic ipse, dum legem scribit, poëtico calamo scribit:

KK S

Fructuos

*Fructus pendentes fundi pars esse videntur,
Et cum lege quis intestabilis esse jubetur:*

Quid verò Ulpianus? annon dum regulas scribit, ver-
sus scribit:

Semper in obscuris quod minimum est, sequimur.

Nunquid & Martianum audio?

Libertas, non privata sed publica res est.

Præteream novæ illa lumina, Alciatum; Budæum, Ferretum, Turnebum? Præteream illos, quos hodie in cancellis imperatoris, in curiis electorum, in consiliis principum à Musis lauro coronatos video? ubi ergo illi sunt, qui divortium inter hæc studia facere velint? ubi sunt, qui nescio quod ex legibus telum nobis objiciant? Poëtæ, inquit, nulla immunitate gaudent. Quæ verò illa immunitas est? ne obtorto collo trahantur, ne ad judicem accersantur: atqui hanc sibi ipsi boni Poëtæ immunitatem constituunt, ipsi dum sibi leges sunt, & virtutis cautione acquiescunt. Nemo verò ex vobis est, J. C. patroni Musarum, qui illarum jugulum ab hoc nodo expediat? Itane immunitate, parentes omnium virtutum carebunt? Quid tu ad hæc Cujati? non, inquis, ita accipe, quasi divini spiritus privilegium non mereantur, sed quòd jus desit. Nemo igitur illud olim petiit? nec nunc quidem petamus, cum ex historiis constet, non Poëtæ, sed grassatores illos, ut appellati quondam, teste Agellio, sunt, qui nomine tam sancto abusi, satyris & contumeliis certabant, Imperatorem Philippum immunitate privasse. Perinde tamen est, sive illum ipsum Poëtæ intelligas, de quo Horatius:

*Ingenium cui sit, cui mens divini oratq; os
Magna sonaturum.*

Intelligas ipsum Virgilium, ut glossa hujus legis edocta est, sive alium, Plautum aut Nævium, dum-
modò

modò novis illis honoribus, novis immunitatibus à Carolo reliquisque imperatoribus concessis perfruemur, dummodò tanti Poetarum nomen ac dignitas etiam à regibus æstimeretur, ut Nasonem nostrum quoque mortuum plaris fecisse rex Alphonfus Hispaniæ prædicetur, quam universum Aprutii dominatum. Nec vos verò, Reverendi theologi, studia nostra templis & choris vestris excluditis: hymnos elegantia Poëtica conditos canitis: Nec Menandri nec Epidemenidis versus ex sacro codice ejicitis: Davidis cytharam Poëticis numeris aptam, in sinu geritis: Prudentii sacra carmina ediscitis: Nazianzeni poemata legitis: Vergilium nostrum cum Augustino recipitis. Cum Hieronymo puerorum manibus traditis, Aristophanem, si minus, quod Joannes Chryostomus feci, pulvillo vestro supponitis, è pulpitis tamen & pluteis vestris non detruditis. Nec verò timeatis, ne usi puriore dicendi venustate, cum Hieronymo apud superos vapuletis. Nec ob id etiam nostras paginas ac flammam relegatis, quòd exempla amorum, irarum, libidinum, stuprorum & adulteriorum contineant: continentur enim eadem literis sacris. In nostris fabulis gigantum contra Deos bella sunt: Pelion imponitur ossæ. In veritate sacra Babylonica turris architecti sunt, qui cœlum digito tangere moliuntur. Apud poetas Deucalionis diluvium est: ob scelera sua genus humanum absorbetur: Apud Moysen Noë arca est, iidem fluctus sunt, & ob eandem causam mortalium omnium exitium. Hercules in nostris libris amore consumitur: in sacris, Samson & David eodem perit. Longius esset hanc convenientiam instituere: cogor itaque hoc filum abrumpere, & ad finem properare. Sed quî possum, auditores, cum Platonis civitatem nobis obstare videam? hîc portas clausas invenio: In postibus scri-
ptum

ptum animadverso: Ibis Homere foras. Quid autem parens ille omnis virtutis commisit? Ergone & ipsa virtus filia exulabit? An verò ided illum ejicis Plato, quòd Poeta sit? Vide quid egeris, ne ipse hoc scripto te proscripseris, & ex tua civitate hoc nomine te ipse eliminaveris. Carmina enim si crimina sunt, quæ exilium tuæ Reip. mereantur, eadem nobiscum nave in exilium veheris: ipse quoque poëta es: carmina tua in luce sunt: à Macrobio teste constringeris. Sed calidè facis: intelligo astutiam; excludis Poetas ab ea civitate, quam cum ubique esse cupias, nusquam habere possis. Sed quid multis tecum contendo? Licet omnes portas aperias, omnes domos patefacias, nemo tamen ex Poetarum numero fuerit, qui tuam civitatem ingrediatur. Licet Roma & omnibus Italiæ urbibus exulet Archias, Platonicum domicilium nõ desiderabit, in quo promiscui concubitus more ferarum, ubi incertæ conjuges, incerti liberi, incerti foci & coqui. Gratia igitur potiùs tibi habenda sunt, quòd sanctum illud poetarum nomen ab illa beluina vita, quam ipsos correxisse primò nosti, exemptum esse volueris. Sed quis nobis, hoc obstaculo remoto, Terentianum illum adolescentem Chæream objicit? qui corrupti actionem contra Poetas intendit: *Nunquam enim, ait, animum ad supra appulissim, nunquam meretriciis amoribus irretitus essem, nisi quo pacto Iovem Diana misisse ajunt quondam in gremium aureum imbrem, ex Poëtis didicissim. Ego met cum id spectare capi, & quòd consimilè luserat, jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi, Deum sese in hominem convertisse, atque in alienas regulas venisse clanculum, fucum factum mulieri. At quem Deum? qui templa summa sonitu concutit, ego hoc homuncio non facerem? Ego verò illud feci ac lubens.* Intelligitis quo modo poëtæ perstringantur, exemplis suis corrumpere mores, supra, adulteria, cædes,

cædes, & id genus flagitia proponunt. Verùm huic
 nodo solvendo non opusest acutiore gladio. Si enim
 ob id irascemur poetis, quòd Venerem cum Marte,
 Jovem cum Inachi filia concumbere fingant: irasca-
 mur etiam oportet sacrarum literarum scriptoribus,
 qui Lothi filias, Uriæ uxorem, Salomonis pellices, &
 id genus turpia exempla ob oculos ponant: Nee-
 nim Poetæ ut imiteris, sed ut turpitudinem visam ex-
 eceris & fugias, ejusmodi tradunt: Irascamur oportet
 omnibus historiis, quæ quasi speculum & specu-
 lam eam rerum præbeant. Ut enim Lacedæmonii in
 servis suis ebrietatis sceditatem liberis suis ostende-
 runt: ita poëticae pictura ea vitiorum odium, & vir-
 tutis amorem exemplis accendit. Ad scenam igitur
 suam, unde prodiit, Chæream remitto: cumque nihil
 nobis resistere amplius videam, ad extremam oratio-
 nis partem descendo. Restat enim hoc, ut dicatur,
 quomodo ad hodiernæ vitæ usum & commodum
 Poetica studia transferre possimus & debeamus. Bre-
 vissimè autem & strictim hanc coronidera attexam:
 cum ex illis quæ hætenus evoluta sunt, illud ipsum
 maxima ex parte elucescere potuerit. Studeat igitur
 Poeta, ut commendationem & laudem, quæ Poeta-
 rum vexillifero Homero tribuitur, omni contèntio-
 ne, & omnibus numeris exprimat, virtutem tan-
 quam patrimonium à Musis acceptum amplectatur
 & excolat: sit, ut uno verbo dicam, ad effigiem Tulli-
 ani Oratoris, vir bonus, qui plectrum suum poeti-
 cum ad Dei gloriam, ad Ecclesiæ propagationem, ad
 fructum, ad Reipub. salutem convertat. Ut enim in
 aliis melioribus exemplis, ita præcipuè in eo poetas
 veteres imitetur, ut in cælum, unde Musa venerit,
 eandem remittat. Hunc enim pium & laudabilem à
 veteribus poetis morem accepimus, qui tanquam
 pii sacerdotes, operam & artem suam præcipuè ad
 laudes

laudes Deorum, quos tum quidem communis superstitionum colebat, converterunt. Nec ipsi verò solum sua Musæa & tecta laudibus Dei complebant, bonitatem & clementiam superum decantabant: Verum etiam aliis, imprimis verò juventuti precum & cationum sacrarum formulas præscribebant. Unde Horatius:

Castis cum pueris ignara puella mariti

Disceret unde preces, nisi vatem Musa dedisset.

Quid ergò Christiani Poetæ faciamus, qui non ut Ethnici ignoramus, cujus Dei laudes, & cui canamus? Veteres illi luce sacri verbi destituti, deorum suorum tam colentes erant, ut nulla festa, nullas Kalendarum factas sine solenni aliqua carminis dedicatione præterire paterentur. Suas habebant laudes Agonalia, habebant suas Carmentalia, Megalesia suas, Cerealia suas, celebrabantur Palilia, cantabantur Floralia, ornabantur Matronalia, colebantur Neptunalia, Faunalia, Saturnalia. Turpe nobis, imò turpissimum sit, Pascha nostrum non majore carminis honore celebrari: turpe sit angelis in aëre Dei gloriam & pacem hominibus decantantibus, nostram Musam ad cunabula Christi tacere. Sed quid ad Ethnicorum fila Christianam cytharam dirigo? Davidem Poetam sanctissimum habemus: hic præcinat, hic præsulter. Salomonem habemus, qui, ut Josephus & Hieronymus testantur, sua cantica Poeticis numeris inclusit. Habemus Esaiam, qui vaticinium suum metro ornavit. Spectemus Jeremiam, qui, Isidoro teste, pleraque ex suis operibus diverso carmine conscripsit. Proponamus nobis Damasum & Ambrosium, sequamur Prudentium: imò verò sequamur, quem in omnium virtutum vestigiis sequi debemus, laudatissimi nostri principis Mauriti exemplum, cujus elegantissima studia ad Dei gloriam cele-

celebrandam conversa, cujus opera sacris psalmis impensa, non sine admiratione, in manibus habemus. Atque ille etiam, Typotio teste, Sueciæ & Poloniae legato, in Oratione ad Imp. Rudolphum II. habita, Regem Poetarum Eobanum, versuum gloria superavit. Namq; ut Hebræorū illud antiquum templum aulaeis & tapetis pretiosissimis, ornatum fuit: ita Christiani, Dei nostri domum, pulcherrimis Musarum floribus decoremus. Laudatur propterea à Cicerone Decius Brutus, summus ille vir & Imperator, quod Artii Poetæ amicissimi sui carminibus templorū ac monumentorū suorum aditus exornarit. Quāto verò laudabilius sit nobis, quibus religio & pietas perpetuò in oculis esse debet, omnes porticus, omnes parietes, omnes postes nostros piis carminibus illustrare? Ad Reipublicę verò salutem ita nostram choram accommodabimus, si virtutem purpura & corona digna induemus, vitiorum verò sordes & fuliginē detergemus, si, ut clariùs loquar, benè meritos honoribus æternis afficiemus, improbos ad melioris vitæ iter flectemus: Si Achilles, Hectores, & Æneas pro patria fortiter extrema quæque perpeffos carminis celebritate ad perpetuam celebritatis memoriam commendabimus; Illorumq; exemplis juvenes Astionactas & Ascanios ad pietatis & virtutis amorem & studium incitabimus, si defunctos laudabimus, superstites ad majorum vestigia inflammabimus. Ita consules & Senatores illi antiqui, M. Tullius, Asinius Pollio, M. Messala, Q. Hortensius, M. Brutus, L. Sylla, Q. Catulus, Q. Scævola, S. Sulpitius Varro, Rufus, ita inquam illi Poësin discebant, & ad eum usum transferebant. In legendis itaque Poetarum scriptis simus apes, optima quæq; ex singulis ad mellificium nostrum comportemus, memores illius dicti Pliniani: Nullum librum tam malum esse, quin boni aliquid

quid contineat. Imitemur in ea re Ulysses, si qua Sirenium esca occurrat, animum quæ posset illecebris suis trahere, tractumque enervare, aures cera & sigillo sapientiæ claudamus. In docendis Poetarum mysteriis sequamur Poetam Epicharmum, cui discipuli hoc Epitaphium condiderunt:

χρήσιμα πᾶσι.

Vtilia juventutem docuit.

In canendis denique & pangendis carminibus, simus luscinia, omnes delectemus, neminem offendamus: simus cygni, quod seniores, eò suaviores: Nec verò tãquam Thaidas publicas, sanctas virgines prostituamus, spurcis & fœdis famosisque carminibus polluamus: nec margaritas ad porcos abjiciamus. Quid enim hoc est, Pharmionum more, quemvis è mediis tonstrinis & pistrinis quasi heroum aliquem veterum sacri carminis honore afficere, cæloque tollere? Quid id aliud est, quàm de quo conqueritur Persius:

— *Ecce inter pocula quarunt*

Romulida saturi, quid dia poëmata narrent,

Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina lena est,

Rancidulum si quid balba de nare locutus,

Phillidas, Hipsipylas vatum & plorabile si quid

Eliquat, & tenero supplantat verba palato,

Assensere viri: nunc non cinis ille Poëta

Felix: non levior cippus nunc imprimat ossa,

Laudant conviva: nunc non è manibus illis,

Nunc non è tumulo fortunata quæ favilla

Nascentur viola, &c.

Sed nolo mihi aliquam hic censoriam virgulam sumere, ne crabrones, juxta proverbium, irritem: tradam potius illos Marfyas Apollini excoriandos: Faciam quod illi, qui ex alto portum suum vident, vela contraham, & vota mea solvam. Percepistis, auditores,

res, sponsæ meæ ornamenta, quæ quidem ex mea exigua supellectile exposui : audistis Musarum nostrarū divinitatem: intellexistis studii poëtici præstantiam, utilitatē ejus degustastis: suavitatē haufistis. Jure igitur & meritò mecū ex Callimacho Poeta illud elegantissimum carmen ex Græco ita redditum cantabitis:

Aurea sunt Musæ gestamina, & aurea vestis,

Ex qua cunctarum fluit aurea copia rerum:

Destillant oleum, fœcundantq; arva capilli,

Felicem quamcunq; beant stillatibus urbem!

Omnia naturam capiunt cœlestibus aptam.

Nunc verò ad cœlestem illum omnium doctrinarum fontem Jesum Christum mea vota converto, ut studiorum lucem oleo suo æterno nutriat, clementissimos nostros Principes Hassiæ, Ecclesiæ & reip. parentes ac nutritios protegat, atq; defendat, patriam nostram Hassiam, & Academiã hanc tueatur ac amplificet, quæ præ cæteris nata est literis humanioribus & ingeniis Poëticis procreandis, & ipso Parnasso & Helicone venustatem & amœnitatē majorem habet, in qua rex ille Poëtarum Eobanus, cujus ossa apud nos jacent, floruit: Codrus ille celebris enituit: ex qua Lotichius veniã suam hausit: in qua Paganus vigit, Asclepius consenuit; in qua tot clarissimi viri etiam hodie (quos Deus nobis sospitet) elucescunt. A vobis verò, Magnifici, illustres & generosissimi domini, ac clarissimi viri, reverenter & magnoperè peto, ut tenuem illum ingenioli mei fonticulum vestris inexhaustis donis irrigetis, studia mea vobis commendata esse velitis, lychnum in me scintillantem gratiæ & benevolentia vestrae aura exciteris, augeatis & conservetis. Quod si, ut minimè dubito, feliciter obtinuero, lætabundus hunc mihi ipse quasi triumphum cantabo:

Sunt Mæcenates, nec desunt, Flacce, Marones.

LL

VII. ORA-

VII.

ORATIO CONSOLATORIA,
ad HERMANNUM VULTEJUM
Jurisconsultum.*Habita Anno 1604.*

UM sæpenumerò ex multis repentinis humanæ conditionis casibus, & ex variis factorum communium eventibus, ac funerum, quæ nobis ante oculos quotidie efferruntur, deductionibus, de vitæ mortalis vanitate ac inconstantia oborta animo meo profunda cogitatio: tum nulla unquam mihi dies altiore meditationem ejus sententiæ impressisse videtur, quæ non solùm literis sacris, sed & profanis ab auctoribus passim nobis inculcatur, ac fabulam nostram vitam omnem esse, confirmat, quàm proximè elapsa Julii decima, quæ non solùm tibi tuæque familiæ, HERMANNE VULTEI, J. Cte præstantissime, amice, collega ac fautor omni officiorum genere mihi perpetuò prosequende, tristissima, sed etiam universæ nostræ Academiae, toti que civitati valdè nubila & luctuosa exstitit, cum dilectissimi filii tui primogeniti, JOHANNIS VULTEJI, adolescentis tum propter aviti & paterni ingenii, quod in ipso jam maximè elucescebat, expectationem, tum propter incredibilem maximarum virtutum indolem ac animi florem, qui in eo summoperè enitescebat, bonis omnibus desideratissimi, conversa tecum universa hujus urbis multitudine in mœrorem, admodum præmaturæ exsequiæ haberentur. Recordabar enim ex mœstissimo funebris illius comitatus intuitu, esse olim tristissimæ ejus dici, inter duos Græciæ doctores, qui
inter

inter septem sapientes usurpantur, Solonem & Thaletem, prælusam quandam quasi in fabulæ profœnio imaginem. Cùm enim alter ad alterum hospitii jure divertisset, Solonq; inter alia ex Thalete quævisset, quidnam causæ esset, quòd uxorem ducere in animum nunquam induxisset? Alter non se posse ex tempore, inquit, instituti ejus rationem reddere: Velle autem cogitatione altiore interjecta, sequente die respondere. Quid sit? Subornat Milesius interea hominem quendam, qui viatoris ac nuncii persona sumpta, ac si peregrè ex Attica venisset, literas præsente Atheniense afferret: Ex quo cùm Solon quid Athenis novi esset, percontaretur, ille nihil admodum, inquit, nisi quòd ea die, cùm exirem, maximus tota urbe luctus agitaretur. Quam ob rem verò, rogat Solon? Efferebatur, ait ille, doctissimi cujusdam optimeque meriti viri natu filius maximus, in quo summam totius civitatis spem positam habebant, fore eum parentis sui similitimum. Quo nuncio terreferi illicò Philosophus, & animo perturbari vehementiùs, sciscitabaturq; sollicitè, quod nomen adolescentis demortui parenti esset? Id se ignorare fabulator ait, audisse saltem, esse illum juris legumque virum consultissimum, esse eum, qui civitatem optimis institutis scitisq; fundaverit plurimis, abesse eundem jam domo, & per Græciam hinc inde ad celebres doctrinæ famâ viros peregrinari. Solon se illis ex verbis magis magisque totum agnoscere; cædere caput, capillos vellere, flere, infelicem ac modis omnibus miserum se dicere, mortem suam pro filii vita pacisci & expetere. At tum Thales, detecto fabulæ velo: jam, inquit, ex te ipso, opinor, scire poteris, quamobrem cœlebs manere voluerim, ne scilicet unquam per amissiones eorum, qui nobis cari sunt, dolores & ægritudines similes illis tuis contraherem. Rediis

autem sapiens illicò ad sese, quamprimum & subornatam illam à Thalete fabulam, & suum etiamdum videre filium intellexisset. Quod itaq; ille cum amico & hospite suo luserat, illud nobis tristissima illa dies, veris lacrymis & doloribus repræsentare videbatur. Efferebatur enim, proh dolor, tuus, amplissime Jurisconsulte, primogenitus filius, in quo non minor, quàm in illo Solonis tum patriæ, tum Academię sita spes erat. Nec verò minor propter adolescentem illum dolor & luctus, non modò tuus, sed omnium nostrum erat, quàm ille ob Solonis filium extinctum fuisse fingebat. At hoc unicum vellem ex illo Thaletis lusu posse nos omnes intelligere, cunctam videlicet hujus ævi vitam fabulæ similimam esse, omnesque nostros ob parentum, ob conjugum, ob liberorum, ob amicorum discessum cõceptas ægritudines, omnes luctus & dolores non aliunde, quàm ex inani nostri sensus persuasione, falsæq; opinionis nube ac errore plus quàm gentili emanare ac proficisci, quãdo penitùs sublato & extincto eos esse existimamus, qui tum maximè & verè vivi ac floridi, eos amissos, qui ad communem verè vitæ portum per januam mortis præmissi, eos penitùs periisse, quos per naturæ legem obiisse videmus. Etsi autem, Clarissime VULTEI, in omnibus, quæ homini accidere possunt, adversitatibus moderatè perferendis, tua sit adedò præmunita prudentia, perspectaque gravitas & constantia, ut neque in his, quos propter dulcissimi filii immaturum obitum concepisti dolores gravissimos, egeas ullius vel Thaletis vel Sulpitii consolationibus, sed, quemadmodum nostræ Academiæ civitatisque Solon consultissimus meritò haberis, ita tibi ipse in ejusmodi rerum humanarum vicissitudinibus & Thales esse, teque ipse consolari, dolorumq; morsuunculas ab animo tuâ ipsius medicinâ avertere possis: non

sis: non molestè tamen feres, si tanquam cum Thale-
 te ad te Solonem nostrum ingressus, illud ipsum,
 quod tu per te intelligis rectissimè, te coram aliquã-
 tum clariùs ostendero, ut & universa tua familia, mœ-
 stissima uxor, superstitesque liberi, amici ac propin-
 qui omnes penitus cognoscant, non amissum, sed
 nobis omnibus præmissum, non peremptum, sed per
 triumphalem mortis portam in æternæ vitæ glori-
 am ingressum, nec lacrymis & suspiriis, sed potius
 plausibus ac gratulationibus propterea JOHANNEM
 tuum carissimum filium prosequendum esse, habe-
 ri que illum humanæ nostræ opinionis errorem, tan-
 quam falsi ac inepti nuncii fabulam, qui per nubes
 ac tenebras rumoresque inanes audita temerè visa-
 que referat, quòd cum Solone vera pro falsis creden-
 tes, vivos tanquam mortuos defleamus. Nam, si
 (quod à nobis, qui in Christo perpetuùm vivimus,
 longissimè absit) eam cum improbis Epicureorum
 sectis opinionem aleremus, ut interire per mortis
 dissolutionem hominis animam cum corpore arbi-
 traremur, justissima certè & dolendi & lacrymandi
 nobis propter amissum hunc adolescentem, & adver-
 sus fatorum iniquitatem exostulandi causa esset,
 quòd tantam indolis & ingenii jamjam maturescen-
 tem gloriam patriæ, tantam spem parentibus, tan-
 tam fratribus ac propinquis, intra primas adolescen-
 tiæ metas, tanquam præcocem & immaturum floscu-
 lum eripuerint. Nam si nec sacer ille Dei vates cucur-
 bitæ suæ interitum, à qua contra solis fervorem um-
 bras captabat, æquo animo pertolerare potuerit:
 si que tam spectatæ tum prudentiæ, tum eloquentiæ,
 Romani que pectoris virum Hortensium arefactam
 in agro suo boni generis plantam eluxisse audia-
 mus: quid nos, Clarissime VULTEI, non tecum me-
 ritò commoveamur, non tristemur, non conquera-
 mur,

mur, nobis ex hac Academia, & ex cultissimo Musarum hortulo, amœnissimum indolis ac bonitatis tuæ flosculum, qui maximorum fructuum maturitatem, plurimorumque proventuum ubertatem promittebat, esse præreptum? Cujus quidem calamitatis eò major æstimatio, quò cumulatiora & aviri & paterni ingenii munera in illo eminebant, & quò ille adolescens tui similior, quoque ad naturam generis sui accedere videbatur propius. Contigit enim hæc tuo sanguini divina quædam ingenii ac animi felicitas, ut **VULTEJORUM** nomen ad conservationem literarum facultatumque; altiorum propagationem unice natum esse videatur. Ex quo factum, ut ex vestra domo æquis quasi passibus ad summos doctrinarum titulos, gradusque, ut appellant, Doctorum felicissime nostra memoria fratres germani tres progressi sitis. Quod cum Justinianæis temporibus idem cuidam familiæ obtigisset, tanquam admirabile, maximeque ad posteros memorabile monumentum, dignumque quod æternitati historiarum commendaretur, Procopius vir summi iudicii esse existimavit. Anatolium certè ex tertia stirpe laudabili Jurisperitum Imperator non semel in Digestorum suorum præfationibus, tanquam rem, ut est profectò, in primis notabilem, suoque imperio gloriosam, maximo perè deprædicavit. At nos illum tuum ingenii egregii adolescentem, tanquam Anatolium alterum ex tertia stirpe in omni scientiarum genere ad patris & utriusque avi exemplum philosophantem videbamus: visuri eramus propediem eundem, si longioris vitæ usuram concessisset ei Deus, perfectum ad paternæ gloriæ imitationem Jurisconsultum. Rarissima profectò ea eruditionis solidæque virtutis propagatio in omnibus familiis invenitur, quæ tertiam, nedum quartam aut ulteriorem generis seriem complectatur.

plectatur: Vix unam Catonum domum exemplissi-
ma Quiritium urbe, quæ orbis instar habita, osten-
dere possis, in qua ingenii prudentiæ gravitatisque
avitiæ hæreditas ad nepotes usq; derivata persevera-
rit. Quò enim Tullii nostri nobilissima novitas, quò
illa lux ingenii, quò eloquentiæ? cum ipso simul ex-
spiravit, filium ejus non illustravit: Quò Antonii o-
ratoris Hortensiique celebritas? ad nepotes & libe-
ros non pervenit. Acerbiores itaque non solùm pri-
vatum, sed & publicè luctus ii haberi solent, qui ob
præmaturum illorum juvenum discessum suscipiun-
tur, quos per insitam optimi generis indolem, felicis-
simamque familiæ genium optimè meritorum pa-
rentum vestigia secururos esse judicamus, & in qui-
bus imagines majorum reparari, virtutumq; simula-
tra referri videmus. Quapropter, cum M. Catonis
summo ingenio summaque virtute filius interiret,
cumq; similiter Q. Maximi filius, vir consularis, ma-
ximisque rebus gestis clarissimus occumberet, vehe-
menter totam civitatē ingemuisse accepimus. Quid,
cum Germanicus juvenis oppeteret? ob admiratio-
nem virtutis ingeniique aviti expectationem natio-
nes etiam exteras regesque indoluisse, Tacitus no-
ster scriptum reliquit. In funere siquidem supremisq;
eiusque honoribus animadvertitur in primis, qua-
lis quisque dum ætatem egit, fuerit, quemadmodum
hoc ille sapiens literis divinis testatum fecit. Atque
hoc in exsequiis optimi adolescentis, filii tui carissi-
mi, amplissime Jurisconsulte, clarissimè videre fuit.
Quantus enim multitudinis ad cohonestandum de-
mortui tumulum concursus? quanta effusæ Acade-
micæ juventutis frequentia? meminisse equidem nō
possum majorem hominum comitatum pompamq;
in ullo unquam funere hujus urbis esse visam. Quan-
ta præterea omnium & singulorum tristitia? que vul-

tuum nubes? qui gemitus & desideria? quanta cum
 funebris concio & elogiū haberetur, attentio? quan-
 ta animorum concitatio? quanta cum elegantissima
 lanuginis ille flosculus in communis nostræ matris
 sinum deponeretur, oculorum humectatio? quanta
 lacrymarum effusio? Quot & quantæ valvis templi
 ad Elisabethæ, in quo humabatur adolescens deside-
 ratissimus, affixæ virorum doctissimorū, juvenumq;
 querelæ? quàm flebiles elegiæ? quot næniæ scriptæ
 tristissimæ? Hic sibi dilectissimum discipulum ex am-
 plexu ereptum; ille carissimum commilitonem, sua-
 vissimumque sodalem à latere sibi subductum; alius
 rarissimi ingenii studiorumque fragrantissimum flo-
 rem amissum; alius adolescentiæ & juventutis ver in
 uno esse sublatum; alius delicias Musarum & Jurispru-
 dentiaæ spem alteram extinctam querebantur. Neq;
 certè ipse mihi memini ex ullius unquam juvenis, a-
 mici ac familiaris obitu dolores majores obvenisse.
 Amaveram ferè puerum non modò ob eam causam,
 quòd tui erga me amoris, colendissime VULTEI,
 quem instar parentis semper mihi ex eo tempore,
 quo primam notitiam habere tui cœpi, declarasti,
 obligatio tanquam debitum flagitaret, sed etiam,
 quòd singularis ingenii animique indolem, quæ fir-
 missimum veri amoris illicium in se continet, argu-
 menta plurima in eo contemplerer. Cùm enim non-
 dum vesticeps adolescentulus in privatam discipli-
 nam domesticamque institutionem clarissimi & con-
 sultissimi viri Bertholdi Schœrei, popularis ac amici
 mei intimi, primarii nunc temporis in illustri Gene-
 rosissimorum Nassoviæ Comitum ad Dillam aula,
 consiliarii, traditus esset, quem, vir Consultissime, ex
 omni Academia nostræ juventute, propter summam
 illius tum eruditionem, tum industriam, tum virtu-
 tem & probitatem omnibus commendatissimam,
 præce-

præceptorem optimum, optimè educando filio tuo legeras; atque ego tum familiaris conversationis studio quotidie ferè ad ipsum ventitarem, memoria teneo me explorandi ingenii gratia propositis quæstiunculis scholasticis adolescentulum aliquoties examinasse; exercitia ejus inspectasse; Præceptoris repetitionibus interfuisse; dextreque respondentis subinde gratulari & applaudere solitum. Præterea quod Rudolphus Agricola Frisius, Latinæ elegantiae artiumq; instaurator, de Erasmo Roterodamo adhuc puero, & in schola Daventriensi sub Alexandri Hegii magisterio bonis literis diligentem operam dante, cum illius in utraque lingua scholasticos progressus pervidisset, vaticinatus esse fertur, idem ego tum temporis, audiente clarissimo Doctore Bertholdo, vaticinium de VULTEJO puero pronuntiabam: Maeste, inquam, puer avito, maeste paterno ingenio, magnus olim eris. Agricola vox sua de Erasmo non fefellit. Magnus profectò ille studiorum gloria evasit, ut quod alii sudore militari, bellicisque laboribus meruerant, cum Magni cognominarètur: id ille cognomen raritate eruditionis tanquam ingenii trophæum consecutus fuerit, quod etiam inscriptio & titulus, qui ad nostram usq; memoriam in Roterodamicæ domus foribus, in qua Erasmus in lucem editus, hoc versiculo testatur:

Ædibus his parvis magnus prognatus ERASMUS.

Nec sanè meam unquam adolescens ille deseruisset de se præclarissimam opinionem, si per ulteriora ætatis incrementa, ceptam indolis ac animi magnitudinem exaggerare licuisset. Quàm celeres enim ejus in omni studiorum curriculo habebantur progressus? quàm ille ad omnia, in quæcunque incidebat, quod in Aristippo Philosopho mirati fuisse dicuntur veteres, mirificè erat appositus? Audivi equidem,

LL 5 idem

idem ipse confirmavi de adolescente idem sæpissime prædicari, quod olim Erasmus de Melanchthone, qui etiam hujus tui filii sanguinem & generis propinquitatem attingit, admodum, tum ætatis, juvene dixisse fertur, fore, ut in quamcunque disciplinam ac studium adolescens incumberet, in ea ille artifices ac magistros facilè exsuperaturus esset celeberrimos omnes. Mira erat in adolescente Vultejo ingenii applicatio & dexteritas, quam me mirari memini, cum in mea Coriolano nobilis Romani, pueri prætextati Papyrii personam agendam suscepisset, quam tanta venustate, tanta pronuntiationis gestusque dignitate exhibebat, ut si in oculos & aures publicas, quemadmodum nobis constitutum erat, si non luis interventu contagiosæ dilabi cœtus nostri coacti fuissent, deducta scena esset, certò affirmare ausim, idem elegantissimo adolescentulo ex felicissima illius personæ actione evenisse, quod Jacobo Mycillo, Oratori & Poëtæ superioris ætatis clarissimo, ex eodem studio & industria actionis Comicæ puero accidisse accepimus. At quid illud? Cùm in celeberrimo illo ad Mœnum emporio in quadam de Gallo Luciani comœdia, Mycillum herum somniantem, gallique molesto cantu expergefatum, ob eamque causam stomachantem vehementer, & adversus alitem frementem ageret, tanta ejus in ista actione elegantia, tanta venustas & ingenii dexteritas illuxit, ut ille Mycilli cognomen, tanquam summæ industriæ ac ingenii testimonium ex illa scena meruerit, quod illi cognominis, oblitterato familiæ prioris, per omnem ætatē, & etiamnum per clarissimam posteritatem mansit. Interfuerat illi actioni Johannes Lonicerus, clarissimus hujus Academiæ quondam Professor, ex quo se eam Mycillorum originem audisse Johannes Hagius in vita Lothichii testatur. Atque ad eum modum
honc-

honestissimum ac nobilissimum Papyrii nomen per actionem personæ, morumque convenientiam potuisset nostro adolescenti facile comparari. Quem admodum ego illum postea non alio quam honorifico Papyrii nomine obvium salutabam. Habent etenim omnia præclara ingenia eam in sese vim positam, ut neque semina & vires suas occultare in minimarum rerum tractationibus, lusibusque possint. Cujus quidem rei regia illa Cyri indoles documentum clarissimum præbet, quæ inter puerilis arundinis equitationem latitare non potuit: inque nostri adolescentis primis tyrociniis pædagogicisque studiis idem haud obscure apparebat: ultra ætatem illucescebat iudicium & captus illicò, annos literarum scientia anteveniebat. Qua enim ætate alii felices suos esse existimant, si rudimentorum tantummodo aliquem gustum consecuti fuerint; ea noster jam longè ultra apia, quod dicitur, egressus, ad fastigia majora properabat. Nondum enim ille Nervæ filii lanuginem adeptus erat, quem quod septendecim annorum, aut paulò majore ætate publicè de jure responsitarit, Romanorum civitas omnisque posteritas vehementer admirata fuit, cum primùm præsidio & magisterio clarissimi Philosophi Rudolphi Goclenii, subtilissimas Philosophiæ quæstiones in publica disputandi acie ventilaret: applausum tum & acutè respondententi, & fortiter ac feliciter sententias allatas defendenti, ab omnibus: exstat ad ipsam mea etiam cum aliorum acclamationibus gratulatio. Deinde paulò post anno 99. ductu & moderamine clarissimi viri Nicolai Chesnecophori Sueci, qui tum Mathematicæ Professionis vices obtinebat, J. U. Doctoris, & nunc temporis Regii in Suecia Cancellari, totum, ut inscriptus disputationis titulus est, Philosophicū Oceanum enavigabat, tam felicibus velis & ventis, ut quem.

ut quemadmodum mihi ipse postea noster GOCLE-
NIUS, philosophantium omnium Castor & Pollux,
qui interfuerat auditionibus retulit, nemo unquam
in Philosophorum gymnasiis, qui id ætatis esset, ma-
jori, quod sciat, cum laude colluctatus fuerit. Aurei
Velleris navigationi navigationē illam Vultejanam
præferendam esse jure clamitabant omnes, cum ni-
hil tam abstrusum, tam abditum & reconditum nihil
in physicis, in geometricis, in arithmetis, in astro-
nomicis, in opticis, in mechanicis, cæterisque Philo-
sophiæ partibus, quod non erutum, non evolutum,
non excussum, non demonstratum, non explicatum
& illustratum egregiè esset. Est ille in manibus no-
stris Oceanus, ad quem respicere velim omnes, qui
feliciter in civilis studii pelago velificari expetant.
Hæc enim sunt futuro Jurisconsulto fundamenta ar-
tium ad altioris facultatis cognitionem omninò ne-
cessaria: hæc remigia atq; alæ, sine quibus ad majora
illa scientiarum cacumina evolare perquam diffici-
le erit. Istam verò ingrediendorum suorum studio-
rum viam ac rationem longè optimam, & maximè
ad legum studia compendiarium à patre instituendi
ordinis peritissimo filius acceperat. Neque verò mi-
norem fructum diligentissimus filius, si fata annuis-
sent, quàm pater amplissimi nominis Jurisconsultus
ex instituto illo studiorum cursu percepisset. Cum
enim ab illa Philosophica per omnes omnium arti-
um circulos habita navigatione, in vastissimum Ju-
risprudentiæ fretum, & ad paterna, sibiq; quasi here-
ditaria studia animum appulisset, incredibile profe-
ctò dictu est, quàm feliciter & quàm velociter institu-
tum illud iter ipsi successerit, quem vix ora solvisse
prima putasses, brevissimo temporis intervallo jam
ad vadum & portum contendisse spectares, quem
vix è carceribus emissum, non procul à meta abesse
videres.

videres. Et quid mirum? Imitatus erat diligentissimus juvenis divini ingenii & memoriæ felicitate adjunctus, eos cursores, qui diplomate usi, quemadmodum Venulejus Jurisconsultus loquitur, diebus ac noctibus, & omni tempestate contempta, iter continuant, cum nullam unquam temporis partem sine ducta linea præterlabi pateretur, Pliniani illius verbi perpetuò memor: *Perire omne tempus, quod non impendatur studiis.* Hac itaque navitate & industria illud facilimè perfecit, ut, cum jam justum quinquenniū, cujus spatii juris addiscendi tramitem conclusum habemus, sese plurimū in arena tum publica tum privata velitando exercuisset, bonamque studiorum suorum fiduciam habere cœpisset, prodire ipse in medium disputatorum cœtum & collegium suis auspiciis & præsiidiis instruere, neque solū amplius discere, sed & alios docere, progressusque sui studii probatos aliis facere, quin & iudicium examinationis publicæ subire, pro honoribus & præmiis labori exantlato debitis contendere constituerit. Ac jam omnia ad hunc finem multò antè domi præparata, omnia instructa habebat. Jamque tibi certum erat, clarissime Jurisconsulte, si ita ille omnia, uti instituerat, ex sententia animi confecisset, si pro dignitate & gradu Doctorali, more majorum, disputasset, si examinationis censuram sustinuisset, morum & linguarum apud externos colendarum gratia, primū in Galliam, inde in Italiam, post in alias regiones, in quibus ipse etiam olim juvenis maximo cum fructu & emolumento versatus fueras, firmiorem & ætate & iudicio studiisque maturum emittere. Cumque ille hanc tui consilii rationem haud obscurè animadvertisset, quò citius & facilius peregrinationis veniam, quam summoperè in votis habebat, à te sequeretur, eam ob causam ipse suorum studiorum
 cursum

cursum metamque vehementissime urgere solebat, ne forte sibi ipse moræ & impedimento esset. Præclarissima benè instituendæ juventutis ratio, virique egregii ad Reipub. spem educandi via longè optima. Sed ô spes seculi fallaces! inanes consiliorum & votorum omnium informationes! Corruit inter manus institutum saluberrimum: A scopo præclarissimarum expectationum quàm repentino impetu repellimur? O frustra suscepti labores! suscepta frustra studia! effusa frustra tot & tanta impendia: vigilatæ tot frustra noctes: consumpti tot meditationibus dies: fatigatus frustra tot rerum investigationibus animus: exhaustæ lucubrationibus vires, frustra detrita & fracta ætatula! Miserrima mortalium conditio: cervis & cornicibus in immensum patere annorum cursus: Juveni ne horam quidem, nedum vesperum vitæ certum haberi? Noste, præclarissimæ spei Juvenis, jam per Philosophiæ omnes secessus egressum, perque omnes jurisprudentiæ partes enisum, ex propositis exterarum gentium perlustrationibus feliciter reversum, lætissimarum gratulationum voce excipere, sertis ac coronis induere, dignitatibus ac honoribus amplissimis ornare, matrimonio & affinitatibus honorificis collocupletare, tuisque ornamentis ac ingenii dotibus totam patriam fortunare desiderabamus: At tu nondum viginti & duorum annorum florentissimam juventutem ingressus, quorsum ex dulcissimorum parentum complexu abriperis? quàm citò spes, vota & desideria omnium in irritum relinquis?

Ergò te tantum voluere ostendere terris

Fata? quod de Marcello itidem juvene Maro meus lacrymabundus conqueritur, cujus tristissimam de te iterare querimoniam jure possum,

Her

Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas,

Tu Vultejus eras.

Sed quid facio, & quorsum à me ipse digredior? Eónne ipse orationem meam sensim abire patiar, ut quod refutare initio instituerim, sensus communis errore abductus, ipsemet opinari, & cum falso illo Solonis nuncio vivum, mortuum dicere videar. Redeat ad se mens nostra, & ad eam oratio. Vivit, clarissime VULTEI, vivit tuus primogenitus, & quidem vivit vitam beatissimam, quæ ne conferenda in minimis sui partibus cum illa, quam abs te vitam acceperat, quæ non tam vita, quàm vitæ miseria appellanda. Quid enim quæso hæc inanis ævi fabula, ex qua tuus filius æquissimo animo egressus, quid habet, quod vero vitæ nomine dignum censerì posset? Fumus sanè & funus sunt rerum mortalium omnia, neque digna, quæ à generosi & celestis spiritus animo suscipiantur, nedum expetantur. Vani hujus vitæ honores omnes: vanæ dignitates: vana studia: à quibus quò quis citiùs expeditur, & tanquam ab ergastulis ac vinculis liberatur, eò ille felicior & Deo acceptior esse meritò existimatur. Quod etiam gentium profanarum oracula consultores suos cælare non potuerunt, quemadmodum ea de re contra stolidam Cræsi regis insolentiam prudentissimus Solon egregiè multa disputavit, ut Herodotus testatum reliquit, cùm Cleobis & Bitonis duorum adolescentum celerem & præmaturum exitum, quem tanquam rem omnium beatissimam à Diis pietatisque præmium consecuti erant, omnibus Cræseis divitiis & regnis longissimè præferret. Sed quid à gentibus veri Dei ignaris testimonia beatitudinis veræ arcesso? Quin potiùs divinas literas audiamus: Quid illæ? Fidelium obitum, non interitum, sed transitum ad Deum, & ad æternam tranquillitatem, ad amœnissimi paradisi tempe demigra-

migrationem appellant: Deum illæ nostrum, Deum viventium, non autem mortuorum prædicant: illæ beatos dicunt omnes, qui in Domino oppetant, quorum in Dei manu animulæ consistant, ab omnibus dolorum & anxietatum stimulis immunes. Sed ô nullis humani eloquii viribus, neque cogitationum spatiis complectendam cœlestis regni gloriam, ab omni æternitate electorum cœtui paratam, quam neque ullius oculi acies penetravit, neque ulla auris percepit, neque ullius animi unquam magnitudo comprehendit! Quæritis charissimi Vultejani superstites liberi, quæritis parvuli, ubinam locorum nunc carissimus vester frater JOHANNES agat, quorsum ex conspectu vestro abierit, quò peregrinatus discesserit! Ad illam, suavissima progenies, ad illam quam modò nominavimus, beatissimam cœlestis patris domum: ibi ille sedem, ibi domicilium, ibi patriam & regnum sibi perpetuum fixit: huc ille à teneris omnes cogitationes, omnia studia, omnia sua vota conversa habebat: huc illius erga DEUM pietas, huc cultus & religio, huc erga parentes & Præceptores obedientia, huc vitæ integritas, morumque castitas, huc fides & dilectio, huc preces & suspiria, huc diligentissimæ verbi divini auditiones & meditationes quotidianæ ejus ibant, huc omnia ipsius studia & labores, huc illa, quam symboli loco usurpabat, *Spes non confundens*, spectabat: huc illa incredibilis, quam in lenta illa febris & tabis decoctione ostendebat, tolerantia sese referebat: huc ille suos ex ultimo illo lectulo oculos, huc præcordia & animum in extremis halitibus dirigebat. Vidistis enim ipsi, Vultejanæ deliciae, vidistis placidissimè vestrum dilectissimum fratrem ex hoc terreni corporis hospitio emigrare: valedictioni ultimæ interfuistis ea vespera, cum inter suavissimas illas cœlestis gratiæ ac benedictionis

dictionis pluvias, quas jam longo ante tempore omnibus agris sitientibus, votis plurimis desideraveramus, quasque ipse ex lectulo æger multoties siccitati minuendæ optaverat, tanquam inter divini nectaris & dulcissimæ ambrosiæ effusiones, secundissimis fluminibus, velut in Spiritus sancti vehiculo, æternæ salutis fonti illaberetur. O discessum omnium auspiciatissimum! Anima, quæ salutaris aquæ aspersione mundata in mundum hunc primùm venerat, eadem inter cælestes aquas mundo iterum enatat. Quamprimùm enim tabernaculum corporis spiritus divinus reliquerat, pluviam tanquam ad hoc ministerium solùm, ut cælo animam subveherent dimissæ essent, illic cessarunt. Quod si, parvuli, amplius quæretis: Illum ad Patres suos, ut ipse Deus in sacris loquitur, & ad majores vestros, ad proavos, ad avos, ad patruos, ad amitas, & ad præmissos jam ante fratres & sorores vestras, profectum esse dicam. Hic enim ille sibi cognominem paternum vestrum proavum JOHANNEM reperit, virum senatoriæ dignitate, integritate ac prudentiâ inter Veteranos olim maximè spectabilem, quem ex curia terrestri Deus Opt. Max. qui quos adamat, citius avocare ad se solet, xxix. natum annos, ad cælestem civitatem morte itidem immatura transtulit. Reperit ibidem, cujus aspectus secundum Dei lucem ipsi optatissimus, laudatissimum vestrum avum JUSTUM VULTEJUM, cujus ut in terris immortalis famam, nominisque æternam ob admirandas animi dotes cultumque ingenii incredibilem, ob eruditionem incomparabilem, virtutisque studia indefessa, prædicationem audiit, ita hic gloriam ejus cælestem coronamque sempiternam, qua pii optimeque meriti Doctores, secundum Danielis verbum condecorantur, summa cum voluptate & lætitia animi cõtemplatur. Intuetur ibidè patruum suum

MM

JOHAN-

JOHANNEM, virum olim in hujus civitatis ordine senatorium magnum, virum tum literarum, tum virtutis nomine rerumque plurimarum experientia commendatissimum, cujus in Austria apud magnates etiamnum egregia memoria, quemque Gallia, cum in ea viveret, plurimum suspexit & amavit: nec illum ultra trigessimum tertium annum inter mortales versari amor Dei passus est. Videt ibidem maternum suum avum WIGANDUM HAPPELIUM, J. U. Doctorem, & in hac Academia cum sancta & omnium primæ linguæ, tum Codicis Justiniani Professore eximium: quæ cum antiquissima Hebræorum gente, tum Patriarchis, cum Mose, & cum prima mortalis generis stirpe colloquentem de mirandis Dei operibus admiratur. Videt, quem quatuordecim abhinc annis hæc civitas postremò vidit, patrum vestrum, JOHANNEM, fratrem tuum, Clarissime HERMANNE, longè doctissimum, qui abhinc quadriennio ad superos concessit. Atqui erat vir ille dignissimus, qui non modò annos Galeni, cujus artes & doctrinas exactissimè callebat, sed & longævi illius Nestoris, cujus facundiam & gravitatem animique magnitudinem æquabat, tria secula exuperasset. Illum enim omnes, totius Italiæ tum Philosophi tum Medici tantoperè admirati sunt, in primis verò præstantissimus omnium, Archangelus Mercenarius, quo familiarissimè usus est, ut sæpè dicere solitus fuerit, neminem sese unquam ex gente Germanorum majoris ingenii, majoris judicii virum cognovisse. Sed & illustrissimi Principes Hassiæ ad Patriam Academiam illustrandâ clementissimè eum accersebant. Verùm ita illum favor ac benevolentia exterorum, potissimum verò Austriacorum procerum, Stiriaque magnatum, & Comitis Serinii gratia captum & devinctum habebant, ut actis Illustrissimorum Principum clementiæ, de tam honorifico de se judicio gratias,

gratius, foris maluerit, quàm domi ætatem omnem transmittere. Vir profectò non modò per omnes vitæ partes laudatissimus, sed etiam in ea re ipso Medicorum Principe Galeno superior, multo que illustrior, quòd & majoris & fortioris animi esset, neq; solùm herbas, sed & militares hastas bellicosè tractare eadem manu didicisset. Nam quod Galenus rogatus olim ab Imperatore Commodò, cujus archiater erat, ut sese in expeditionem Germanicam comitaretur, meticulosè detrectasse dicitur: hoc ille superioribus annis, manu ac animo intrepido, serenissimo Archiduci MAXIMILIANO copias in Croatiam adversus Turcam ducenti, sponte sua præstabat; cùm non solùm se optimum in castris medicum, sed etiã fortissimum militem exercitui probaret. Quod quidẽ tam acceptum gratumq; Archiduci fuisse ferunt, ut eum magno stipendio archiattrum aulicum, sibi aliquoties poposcerit. Verùm ille cùm suus esse posset, singulari quadã paterni animi magnitudine subnixus, secundum prudentum consilium, alterius esse volebat. Sed & illum Dei benignitas, ne miserrimo Stiriaë statui superesset, ac ne calamitatem occupatæ Canisæ, à qua ille non longè aberat, Turcicamq; tyrannidem ante mœnia & fores exultantem videret, anno ætatis quadragesimo secundo abstulit; quem alioquin tum summa vitæ frugalitas & continentia, tum medicamentorum omnium perfectissima cognitio, ususque faciendę medicinæ felicissimus, ad longissima ævi tempora conservare potuisset. Quid verò nuper digresso nostro adolescenti, fratri vestro, Vultejani amores, jucundius, quid suavius esse possit, quàm in illo absolutissimarum voluptatum, lætitiarumq; cœlestium theatro, inter dulcissimos amplexus & oscula majorum, gentisque ac sanguinis sui colloquia & amabiles intuitus versari? Incredibile certè dictu

est, quantum animus noster delectationis ex antiquis majorum imaginibus, ex ceris & mutis statuis, quantum voluptatis oculi percipiant: At quâ illum suavitate perfundi cogitabimus, cum clarissimos istos patrum suorum vultus, ad Solis imaginem, radiantem intueatur? cum optimam illam suam ex antiquissima Fettiorum familia ortam aviam, matrem tuam, clarissime HERMANNE, dilectissimam, quæ triennali passu nepotem suum præcessit, quam ille jam diu luctu inani prosequutus erat, iterum receperit; cum præterea proaviam, stirpem & matrem generis, magnamque tanquam Cybalen clarissimæ omnium eorum, qui nunc hinc inde auctoritate, doctrina, opibus ac fortunis maximis florent, Pincierorum gentis agnoscat: Cum denique aviam maternam CATHARINAM, ex honestissima Stuichsiorum familia in Palatinatu Brettæ oriundam, magni illius Philippi Melanchthonis ex sorore neptem contempletur? Quid verò amabilius, quid acceptius, quam rediisse ad fratres & sorores, quos pridem amissos morte putabas? Rediit nempe ille ad fratrem vestrum JOHANNEM HERMANNUM vedustatis ac indolis puerum incomparabilis: rediit ad fratrem HERMANNUM LUDOVICUM: rediit ad JOHANNEM HERMANNUM alterum, quos olim quidem minimos in terris, nunc verò servatoris invitationem ac amplexum secutos, factosque in regno Christi, quod pueris promissum est, maximos admiratur. Rediit ad binas vestras sorores, CATHARINAM JUSTINAM: & CATHARINAM alteram, quæ vix anniculæ ex cupis in cœlestis Patris sinum advocatæ. Deum immortalem! quas in exoptatissima illa conjunctione caritates, quæ gaudia, quas in æterna illa societate, summi que boni perfruitione suavitates, quæque incredibiles voluptates esse dicamus? Ex quibus si cum dulcissima patria,

patria, si carissimi parentes, si dilectissimi fratres, ac
 sorores, si necessarii & propinqui excitare velitis, si ei
 omnes mundi opes ac divitias, omnes honores ac di-
 gnitates ostendatis, an non putabitis hoc vobis ex al-
 tissimo cœlo beatissimum adolescentem clarissima
 voce responsurum? Nolite me, inquit, nolite ex sem-
 piterna hac luce in tenebras, ex libertate perpetuâ in
 servitute & ergastula, ex regno in carcerem, ex vita
 in mortem revocare. Rerum terrestrium nihil est,
 quo capi animus possit. Vidi equidem, in terris dum
 agebam, omnia, quæ homini jucundissima esse pos-
 sunt: Vidi te meum parentem carissimum, propter
 summam virtutis & eruditionis gloriam apud omnes
 bonos summa existimatione nominisque celebrati-
 one florere: Vidite Regibus, vidi Principibus, omni-
 busque passim magnatibus placere: Vidi domesticæ
 fortunæ successus divina benedictione augeri: Vidi
 omnium hominum favores ac gratiam paternos ad
 lares confluere: Vidi generis nostri honores per affi-
 nitatem amplissimi viri JOHANNIS ANTRECH-
 TI Jurisconsulti, Procancellarii Hassiæ, perque pro-
 geniem ejus crescere plurimum: Vidi Clarissimum
 virum CHRISTOPHORUM DEICHMANNUM
 Jurisconsultum familiæ nostræ per dilectissimæ soro-
 ris CHRISTINÆ matrimonium felicissimis omni-
 nibus inferi, quem meum in locum gaudeo posse
 substitui. Vidi patrum CHRISTOPHORUM, con-
 sultissimum Jurisconsultum, consiliis Regiis in Hol-
 satia præfici: Vidi nostri generis Pinceros honoribus
 & dignitatibus maximis perfungi. Sed quid vidisse
 hæc omnia proficit? Vana, caduca & fluxa sunt o-
 mnia, quæcunque terrenæ aliquem felicitatis vul-
 tum ac radium præ se ferant: Hic domus & sedes in-
 ter beatos æterna: hic patria firmissima: hic lætitia-
 rum ac voluptatum fons perennis: honorum ac di-


gnitatum apex immortalis : hîc & regnorum vigor perpetuus. Filium, mœstissimi parentes, fratrem fratres ac sorores, Vultejanæ domus lepidissimi furculi, vobiscum colloquentem audistis ipsi, verba & mentem agnoscitis, quàm præclarum ille à vobis iter fecerit, quò migrârit, ubi domum non quidem mutabilem conduxerit, sed ubi æternam sedem fixerit, intelligitis. O felicissimam permutationem : mortalitatem cum immortalitate, morbos ac mortem cum æterna salute ac vita, lacrymas ac fletus cum sempiternis lætitiis & triumphis, curas & molestias cum perenni animi tranquillitate commutavit : pro Pontificia Italia, æterni sacerdotis regnum : pro Liligera Gallia, paradysum cœlestem, coronamque immortalis vitæ; pro Anglorum regno, castissimam Angelorum civitatem, beatissimamque cœlitum provinciam intravit. Optemus itaque, omissis desideriis & doloribus, cum rege, qui eandem liberorum orbitatem passus est, Davide, non ut ille ad nos revertatur, sed ut nos ad illum, fatali quisque suo termino, societatis æternæ participes futuri, transeamus. Quod quidem beatissimi adolescentis manes etiam per tumuli lapidem nobiscum loquentem, poscere & flagitare his verbis intelliguntur : Avete & valete parentes carissimi, vosque fratres suavissimi, & sorores mellitissimæ, ego in cœlis exulto, terræ oblitus, vos expectans.

O R A T I O I I X.

Habita 4. Jun. Anno 1613.

Principem literatum in electione imperii præferendum esse illiterato.

Quod


 UOD precati sumus à Deo Opt. Max. eo tempore, cum superioris anni mense Junio, cœli gravioris inclementiæ cedere, clausis- que Academia porticibus, ex urbe contagio inflammata emigrare cogeremur, ut divina clementia seminarium hoc literarum ad Ecclesiæ ac rei publicæ salutem conservaret, cætumque miseris modis dissipatum in hæc domicilia sedesque cum exoptatissima incolumitate reduceret, ejus nos felicissimæ petitionis voti que divino beneficio participes esse factos, ingratis profectò essemus, si non omnes & singuli in publicis hisce denuò institutis celebritatibus quàm maximè lætaremur. Nam illud amabili quadam nature vicissitudine & singulari ejus quasi condimento ita comparatum est, ut si quæ præteritas nubes atque tristitias excipiat hilaritate insperata serenitas, multò majore voluptate animos afficere soleat, quàm ea, quàm nullæ tempestates, nulli imbres, procellæ nullæ antecesserunt. Tantò itaque hodiernus dies nobis & jucundior & acceptior esse debet, quantò eundem superiore anno turbulentior & tristior fuisse recordamur. Pridie enim nonas Junias, nisi memoria fallor, fiebat, cum vi pestilentis contagii in dies superante, de loco mutando consilium mœstissimum publicis Academia literis significaretur, ex quo quidem die, quid hi parietes, quid suggesta, quid hæc subsellia, quid hi clarissimi conventus, quid hæc loci amplitudo suavitatis haberet, carendo aliquandiu magis, quàm antea quottidie fruendo intelleximus. Jam verò claritas, honos, locus, ordo, cōfessus, studium, celebritas, quanquam antea semper splendidissima visa sunt, tamen ea nunc restituta, & quasi renovata multò illustriora videntur, quàm cum antea in eodem cursu sine interpellatione, sine offensione versarentur, ipsa verò urbis digni-

dignitas, domus, focus, lares, hortus, ager, amicitia, consuetudines, vicinia, Deum immortalem! vix dici potest quantum charitatis, quantum voluptatis habeant. Quae quidem nunc omnia, quod aliquo temporis intervallo desiderata sint, multò magis, quàm assiduè percepta delectare videntur. Quorsum verò hæc commemoratio? quorsum? ut intelligere possimus, quantum divini beneficii in hodierna hujus die celebritate oculis nostris subjiciatur, cùm incolumi universo hoc ordine, pulcherrimæ juventutis florem recolligi, studiorum fructus uberrimè rursus percipi, baccas & laureas honorificè renasci videamus. Semperpiternus honos atque gloria immortalis divino conservatori esto, quem propterea precibus maximis rogamus, ut ab omni adversitate Universitatem hanc deinceps tueatur, ejusque salutem & incrementum perpetuò curet, idè verò præsentì huic negotio & solennitati præsit, sanctissimiq; sui Flaminis gubernatione actiones nostras regat, ut tum dicta tum facta omnia divinæ gloriæ, & Ecclesiæ ac reip. maximo cõpendio cedant. Quos autem in conspectu vestro constitutos sedecim philosophiæ optimarumque artium candidatos cernitis, in eos petitos honores, quibus dignissimi judicati sunt, conferre hodie, benevolente & adjuvante Deo, constituimus. Priusquam autem coronarum impositioni manum admoveam, sentio orationè aliquam secundum morem & consuetudinè à me expectari. Cogitanti itaq; mihi quidnam potissimū, quod tum loco tum temporì accommodatum esset, dicerem, visum est de ea re argumentū sumere, quæ nunc in omnium hominum frequentissimo sermone, atque in summa totius Christiani orbis expectatione versatur, veteremq; illum philosophū imitari, qui, civitate sua negotiis maximis occupatissima, dolium suum versare cæpit. Nam cùm in candidatoria

datoria disputatione de Sylvi quodā consilio materiā disquirendi subjecissem, quod ille olim Romani imperii Septemviris tanquā reip. Germanorum maximè præstabili, persuasissimū esse optavit, cū vaferrimo æstu asseveraret, literarum rudem artiumq; liberaliū ignarū principem reip. Christianæ gubernaculo longè utiliorē, quàm si doctrinis & disciplinis præditum legerent, futurū, arbitratus sum illud tum ad præsentia tempora, tum ad hunc locū perquàm commodè pertinere, si ad orationis stylū controversia revocata, divini Platonis sententiam, quam jure quasi nostro in Academiis omnibus & scholis tueri atque defendere debemus, non modò barbaræ isti opinioni opponerem, verū etiam exemplis clarissimis declaratam quàm maximè comprobarem. Neminem autem fore arbitror, qui, si vel à limine saltem Academiam salvaverit, inter alia sapientissimi philosophi instituta hoc tanquam oraculū civile nō cognoverit, qui tum demū felicem beatamq; remp. fore prædicavit, si ejus gubernatores regesq; ipsi docti & eruditi, atq; ad eō si philosophi existerent. Quam quidem vocem etsi non ignarus sim eam ab inimicis literarum, tanquam à rerum civilium imperito philosopho profectam, rejici & irrideri ab omnibus, tamen prudentia summa præditis hominibus, imò ab ipsis regibus, publicæq; administrationis peritissimis semper divina judicata est. Ne autem in philosophi vocabulo, ut fieri solet, tanquam in scirpo, quod dicitur, nodus quærat, quem per philosophi nomen Plato velit, quem intelligat, primum omnium explicandum nobis erit; Objiciunt enim nobis illico sententiæ hujus irrisores, eos homines, qui sibi ipsi dum vivebāt mortui esse videbantur; qui, ut Abderitæ de Democrito suo loquebantur, nimia sapientia tanquā ægritudine aliqua laborabant, qui cū in animi solius domicilio univer-

fas vitæ suæ rationes constitutas haberent, nihil omnino earum rerum ad se pertinere existimabant, quæ extra ejusdem fines haberentur. Objiciunt ex hoc agmine nobis Carneadem, qui studii meditatione, tanquam sepulchro obrutus, neq; se ipse satis foris agnoscebat, neque cibos appositos animadvertibat, neq; sitis aut famis sedandæ memoriam tenebat, quem propterea inedia sustulisset, nisi ancillulæ opera, quæ pulsem tanquam ori pueri inferebat, servatus fuisset. Ostendunt nobis ex alia parte in sole apricantem & Alexandri pompam regnumq; susque deq; habentem, Diogenem: Proferunt è domuncula januæ carente Epictetum. Monstrant in pulvere circulos ducentem, inque Cylindri studio temerè morientem Archimedem. Totam deniq; palliatorum hominum familiam producunt, qui cum Domitio illo philosopho, quem Gellius habet, furere & insanire magis, quàm sapere videantur. Atque hic egregios, inquit, spectate in Platonis vestri civitate gubernatores: hi scilicet illius reges, hi duces, hi magistratus sunt, qui ad Antyciras potiùs, quàm ad fascas & ad fascias regnorum mittèdi. Quid quæso, philosophiæ candidati, de philosophis hîc audimus? Quis ipsum Thaletem, ut Comicus jocatur, talèro minore emerit, si nihil aliud gloriæ à philosophiæ nomine expectandum? Dixeris profectò ipsi Platoni cerebrum in calce fuisse, si remp. eo hominum genere fortunare voluerit, qui etiam inter homines dum erant, esse desiderant. Appage cum assiduo tui Democriti risu: cum fletu & lacrymis Heracliti appage. Vos verò, boni viri, malle ante quod Carneades sedulò fecisse legitur, cum ad disputandum descenderet, helleboro sensum purgassetis, quàm Platonem tam ineptè de rep. sensisse putaretis. Quem enim ille? Eundem profectò, quem omnes Græciæ civitates philosophum

rectè

rectè intellexerunt, quem omnes rerum clavis & gubernaculis præficiendum esse non modò verbis, sed re ipsa docuerūt. Nec enim vetus Græcia ab aliis, quam à Sophis suis quàm optimè administrata. Quid enim illi, qui septem celebrantur sapientes? præter unum omnes reipub. in patria quisque sua rexisse à Plurarcho celebrantur. At quomodo illi philosophi? An ex eorum genere, de quibus ille cum vulgo apud Athenæum in hæc verba exclamat: *Heu mihi philosophis? at qui philosophi sermone solo sunt sapientes, ceteris in rebus esse novi ego stultissimos!* qui in nimis philosophiæ studiis studio ejus uti nesciunt, qui, ut Hippol. scripsit, *sapientes sunt, præterquam in iis rebus in quibus sapientes esse debent.* Aut ex eorum numero, qui in meris ideis & speculationibus universum studium collocarunt, & ab omni civili gubernatione tanquam à Gorgone quadam abhorrent? Minimè! Sed de philosophia, cui Plato in prora & puppi summum reip. locum assignavit, cui clavum dedit, audiatur Plinius secūdus. Quid ille? *Nulla laudabilior, inquit, philosophia pars est, quàm agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere & exercere justitiam, atq; ea quæ philosophi docent, in usu habere.* Atqui de eodem hoc studio Ulpianus loquitur, cum *jurisprudentiam veram philosophiã esse affirmaverit.* Quod ipsi quoq; Augusti confirmarunt, qui, cum leges condant, cum jura interpretentur, cum equitate & justitia populos moderentur, tum rectissimè philosophari sese prædicarunt. Quanquam enim imperatoriæ artes sint, ex intima tamè philosophia petendas esse, Romanorum orator idemq; consul prudentissimè judicavit. Hoc studio Solon Athenas, cum philosophus esset, quàm optimè gubernavit, hoc Periander, hoc Cleobulus, hoc Bias cum philosophi essent, civitates quisq; suas moribus & legib; instructas prudentissimè administrarunt. Illa enim philosophiæ
pars

pars est, quæ quid honestum, quid turpe, quid extremum honorum, quid malorum, *melius*, ut Horatius ait, *Chrysiippo & Crantore*, docet, illa qua ratione domus regenda, quæ sit patris, quæ mariti, quæ heri potestas, quo pacto res familiaris tuenda, quo amplificanda, illa quot imperiorum genera, qui olim reipub. status, qui administrationum modi, & ut uno verbo dicam, quomodo tum pacis tum belli tempora moderanda cuique sint, præscribit. Hæc profectò illa est, quam Tullius vitæ ducem esse exclamavit, hæc est, cui sceptrum & imperium omnium nationum & gentium Plato justissimè tribuit: hæc est, quæ ut ex Theologorum schola Chryostomus pulcherrimè loquitur, artem imperandi, quæ omnium artium maxima habetur, felicissimam tradit. Cognoscitis, puto, Platonis philosophum, quem annon principem & regem fore cum eodem omnes optabimus, qui felicem reipub. esse velimus? Cui enim sapientia ista, uti Vegetius prudentissimè scripsit, magis conveniat, quam principi, cujus doctrinam omnibus subditis prodesse oportet, quando quidem, Cicerone teste, nihil tam regale existimetur, quam sapere & judicare, quod verè philosophari esse ipsi, ut audistis, reges & imperatores agnoverunt. Quod quidem maxima cum imperii sui felicitate rectissimè intellexisse Persæ veteres prædicantur, cum, quemadmodum Xenophon testatum reliquit, ne quidem è regum liberis quenquam in solium susciperent, nisi à pueritia cum philosophis, quos Magos appellabant, in optimarum disciplinarum studiis versati essent, quando quidem qui hominem frenare velit, sapientissimum eum esse oportere verissimè cum eodem auctore censebant. Quæ quidem aurea regii præceptoris sententia, dignissima quæ in omnium imperiorum regnorumque curiis, in aulis & atriis
omnium

omnium principum, & in campis, atque adedò in ipsis
urnis suffragiorum scripta habeatur, dignissima que
ante oculos & in conspectu atq; in memoria omni-
um electorum assidudò versetur. Nescio enim qua
perversa ratione fiat, ut plerunq; ad vulgi iudicium,
opinionum nostrarum propensio proclivior, quàm
ad prudentiæ & veritatis censurâ haberi soleat. Adedò
difficile intellectu illud esse videtur, quod Magni
illius, nō modò Bucephali, sed orbis terrarum domi-
toris præceptorem dicere solitum fuisse Laertius pro-
didit. Quid verò illud? *Quemadmodum, inquit, à cir-
cumfuso aëre lumen aspectus, ita in imperiis gubernandis
mens à doctrina accipit.* Quod profectò barbara qua-
dam caligine circumfusi veteres nostri Gothi perspi-
cere non potuerunt. Quid enim illi? Quod Pium Se-
cundum, minimè certè erga literas & remp. Christia-
nam pium, minimè secundum, suffragatoribus im-
perii Romani persuadere voluit, illi institutis & mo-
ribus avitis persuasissimum habebant. Cùm enim, uti
Procopius rem istam memoriæ tradidit, Amalasu-
tha, egregia fœmina, & ultra calanticam mulierem-
que indolem sapiens, Atalaricum filium suum, qui
ad imperii spem adolescebat, liberaliter institui do-
cerique eas artes curarit, sine quibus ne hominem
quidem, nedum principem appellari posse, Bohemo-
rum rex Udalislus prudentissimè, teste Bonfinio,
responsisse fertur: quid tum fit? Gothorum proceres
concurrunt, adolescentulum regium è matris gre-
mio abripiunt, tabulas & libros è manibus pueri ex-
cutiunt; rem indignissimam regio ingenio commit-
ti clamitant: non in chartis, sed in hastis, non in legi-
bus, sed in legionibus imperatoriam juventutem ef-
se exercendam, non magistris, non doctoribus, sed
majoribus eidem suis utendum. Reluctabatur gravis-
simis rationibus prudentissima mater: sed frustra.

Ad

Ad equos & canes præstantissima indoles abducitur, à sapientiæ studiis, ad venationes & aucupia, à Musarum foliis, ad cupas & dolia transfertur, sed ô incredibile reip. natum ex eo detrimentum ! infelicissimum Gothicæ institutionis exitum ! quem equidem miror non perhorrescere eos, qui neque hodie in regum & principum aulis, perhibente Castellano, Gothicis ejusmodi consiliis heroica & divina magnatum ingenia abducere à literis cessant. Quid enim hodie illi ? Ad homines de schola, vociferantur, eosque qui ad otium nati, qui ad res gerundas inidonei & inepti existant, pluteos & codices remittendos, principum liberis libros esse indignos, illis frameas, calcaria, frena, nitrum & sulphur tractare, illis accipitres alere, cervos & apros agere, aliaque id genus equestria & heroica exercitia convenire. De qua quidem disciplina, ejusque ratione etiam vetustis temporibus istum, quem supra ostendimus, Carneadem conquestum esse legimus, cum dolendum esse diceret, regum filios, præter equitandi studium, nihil doceri. Conquesti ipsi reges & principes quàm plurimi, cum maturiore ætate cognovissent, sibi nulla re alia difficilimam gubernationem esse, quàm quòd literarum subsidio & eruditionis adminiculo carerent. Nota ex imperii principibus Ludovici, Bavariæ Ducis, Comitisque Palatini querimonia est, nota ejusdem optimi principis industria & studium, nota diligentia, quam etiam literis addiscendis in extrema senectute adhibuisse prædicatur. Nota nostræ memoriæ diligentia Augusti Ducis Saxoniae, & Septemviri imperialis, quam Latine lingue addiscendæ inter gravissimas gubernationis occupationes jam ætate maturiore adhibuerit. Notissimum nobis ex hac illustri provincia exemplum domesticum illustrissimi principis Ludovici, cognomèto Mitis, qui, quòd adolescen-

lescentia ipsius, tutorum culpa, neglecta in literarū
 cultu esset, ad supremum usque diem doluisse dici-
 tur, etsi eo naturali acumine & sagacitate ingenii sen-
 susq; communis acrimonia esset, ut omnes ferè pru-
 dentia id ætatis reges & principes anteciret. Atque de
 eo etiam exteri scriptores testantur, cum justitiæ &
 æquitatis studiosissimus esset, ut causas ipse cogno-
 scere, & ex tribunali jus dicere posset, primū auctorē
 in his provinciis libelli & actionis vernaculæ in judi-
 cio fuisse, neque unquam secus, quàm jus & æquitas
 postulabat, naturali mentis lumine judicasse. Ex pa-
 tribus nostris audivimus, quàm sæpe sibi ipse Caro-
 lus noster Quintus displicuerit, quòd, etsi mediocri-
 ter literas ab Hadriano suo didicisset, immaturius
 tamen ab iis abductus esset, minusque percepisset,
 quàm principem & imperatorē scire oporteret. Quod
 nostra memoria iniquissimo animo in se ipse fere-
 bat Fridericus Secundus, rex Daniæ, qui si ad sua tem-
 pora superfuissent adulatores isti, quorum suasu &
 obsequio à literis, tanquam à pretiosissima regii ani-
 mi possessione abstractus esset, velle se ajebat exem-
 plum in eos dignissimum constituere, quod aliis cor-
 ruptoribus terrori, regum verò & principum liberis
 maximo fructui & emolumento imposterum foret.
 Erat quidem ille princeps tam heroica auctoritate,
 totiusque corporis atque oris dignitate præditus, ut
 quod de Hierone prædicatum legimus, ad imperium
 à natura fictus & factus esse videretur, in quo nihil o-
 mninò præter literarum ornamenta, quod ipsi mole-
 stissimū erat, desiderabatur. Quod quidē ex te, ampl.
 Procancell. Herm. Vultej, audiremus libentius pro-
 pterea, quòd cum ab Illustrissimo principe Wilhel-
 mo, augustæ recordationis, eò legatus missus ab hinc
 triginta prope annis esses, cum eodem rege plurima
 collocutus fueris, splendidissimisque ab eodem mu-
 neribus

neribus honoratus redieris. Uti autem potentissimi hujus regis exemplo idcirco hoc loco volui, ut cum & ipse Gothorum regnator fuerit, Gothicam istam quam audistis sententiam luculentissimo ejus testimonio refellerem, qui quidem si venum exponi, pretioque comparari eruditio artiumque scientia potuisset, non dubito, quin eandem vocem, qua Alphonsum Neapolitanorum regem sapientissimum usum esse legimus, ad omnem posteritatem emisisset, serioque animo confirmasset, malle se pretiosissimis gemmis & thesauris, malle regnorum aliquot ditionibus, quam literarum ornamentis carere. Est autem jucundissima tanti regis sententia, quæ Platonium nostrum philosophum validissimis fundamentis munit. Clarissimum præterea ejusdem Alphonsi verbum est, cum nescio à quo Hispaniarum principe, irrideri in rege literas, easque tanquam magnatibus indecoras improbari audisset. Quid verò ille? Bovis, inquit, ista vox, non hominis est. Deum immortalem! quid gravius, à gravissimo rege, quid prudentius, à prudentissimo orationi indignissimæ reponi potuisset? Quod quidem plurimum miror Ænea, te cum in Germaniam nostram, barbaram tuam sententiam, literisque, & earum de te divinis meritis indignissimum consilium emitteres, non considerasse, nec cogitasse itidem tibi responderi posse. Erat quandoquidem tibi illud regium Alphonsi responsum non obscurum, legeras non modò omnia ejus dicta & facta à Panormitano conscripta, verum etiam plurimis tuis exemplis & doctrinis eadem illustratas. Quin ipse etiam cum rege diu multumque versatus. multò plura & graviora in eandem sententiam ex eodem audieras, ipse audita tuis suffragiis & preconis confirmaveras. Sed ita profectò est, tui consilii te ipsum occæcaverat ratio; Quorsum enim sententia ista spectabat? quid vafrities animi tui petebat?

bat? quid calliditas sensus tui quærebat? An non eam ob causam literas hac indignitate affectas volebas, cum illiteratum principem literato & docto præstabiliorem fore imperio consuleres, ut per Germaniæ ejusque imperatorum contemptum solii pontificii auctoritatem amplificares, per Cæsareæ potestatis ruinam, Romanam sedem locupletares: scilicet inerudito principi facilius imponi posse, quam scientiæ lumine prædito sciebas: Sciebas ab artium ignaro obtineri & impetrari jura omnia & privilegia facilius posse, qui quantum momenti in eis situm esset ad imperii dignitatem retinendam, non intelligeret. Sciebas ab indoctis olim imperatoribus ea ultrò donata & vendita Romanæ Ecclesiæ esse, quæ doctissimi Frederici maximis armorum contentionibus ab Italia repetitum issent. Sciebas ab imprudentioribus, quod fieri barbaris debere olim imperatores rescripserunt, subtili ingenio, opes & facultates aurumque facilius abstrahi & auferri posse; Sciebas à literarum scientia nudos & inopes, secundum Comicum verbum, etiam in lapide stantes ita vendi posse, ut ne se venditos quidem esse sentiant. Huc verò omnes tuas rationes, huc consilia, huc sententias tuas omnes rediisse, ad hanc metam omnes cogitationes & sensus tuos fuisse conversos, non ex orationibus tuis, quas in diversis principum conventibus habuisti, perspicuum esse potest. Nec verò machinationes istarum tam occultæ atque obscuræ esse potuerunt, quò minus à prudentioribus nonnullis id ætatis hominibus perspectæ & detectæ fuerint. Quid enim? annon fucum pontificium, Italicumque fumum Cl. vir Martinus Mejerus, amicus tuus, Moguntini Antistitis id temporis Cancellarius odoratus esse videtur? In manibus est viri patriæ amantissimi epistola, quam tu idèò amaram appellasti, quòd quo amore & affectu Italicæ Ecclesiæ stu-

NN

diosis-


diosissimi erga imperium Germaniæ libertatem esse:
 tis, admodum ille perspicuè declaravit. Sed quid ego
 pluribus cum mortuo contendam? Prodeant, si vobis
 ita videatur, in medium ipsæ literæ, suamq; ipsarum
 causam contra tam iniquam sententiam, agant.
 Quid verò illæ? Hocce, inquit, de te, Sylvi, opti-
 mæ artes & facultates meritæ sumus, cum nudam &
 egenam adolescentiam tuam primùm in cancellos
 & scribarum numerum, deinde ad imperatoriam gra-
 tiam & favorem nostris humeris sustulerimus, cum
 non procul à Mœni littore capiti tuo carminis ele-
 gantia pro meritam lauream Cæsaris manu imposue-
 rimus, cum te in Imperiale scrinium, & arcanioris
 consilii senatum collocaverimus, cum splendidissi-
 ma legati dignitate exornatum per exteras nationes
 & gentes comitati fuerimus, cum denique ad sacras
 sacerdotii infulas, & ad purpuram trabeamque su-
 premi in Ecclesia ordinis, postremò cum ad fastigi-
 um ipsum Romanæ sedis evexerimus, hocce no-
 strum beneficium commeruit, ut quæ nostra digni-
 tas & gloria in orbe terrarum summa est, ea privare
 nos, quantū in te fuit, volueris: quid enim nobis ma-
 jori honori, quid laudi, quid voluptati, quid lætitiæ
 majori esse possit, quàm artes & literas cum mundi
 capite in supremo regni solio elucere; cum imperato-
 ribus sceptrum temperare, cum regibus diademata
 gestare; orbis imperio præesse, consilium omnium
 nationum & gentium moderari? At tu ruditatem sci-
 entia, ignorantiam cognitioni, inscitiam peritia, he-
 berudinem intelligentiæ, caliginem denique luci
 antepositam voluisti. Literatum principem minori
 cum reip. commodo, quàm illiterarum regnaturum
 asseruisti. Quid itaque de ipso Julio, à quo omnium
 Cæsarum nomen & successio, quid de Augusto ejus
 herede, à quo prima Augustorum dignitas: quid de
 Adria-

Adriano, de Antonino, quem à studio φιλοσοφώτατον, quid de Zenone, ejus æmulo, quid de Tacito, quid de Numeriano, qui imperatoris nomini poëtam & oratorem ascripsit, quid de Constantino, imperii instauratore felicissimo, quid de aliis doctissimis ejus successoribus tibi videtur? Numquid infelicius, quàm barbari & indocti Maximini, rudes Decii, imperiti Valeriani, stolidi Gallieni, inepti Licinii imperasse dicentur, sive fortè hunc solius Germaniæ genium esse existimes, ut inscitia, quàm eruditioni ferundæ accommodatior haberi possit. Quid igitur de Carolo nostro primo dices, qui occidètem novi imperii luce princeps illustravit, minusné eum commodè rep. gubernasse dices, qui literis & linguis pluribus excultissimus fuisse dicitur? Quid de Ottonibus Primo & Secundo, quid de Fridericis, quid de duobus fratribus, Carolo & Sigismundo, quorum fundamentis adhæc usque tempora illabefacta hæc moles stetit, quid de Maximiliano primo, qui felicissima manu per totæ familiæ suæ serenissima lumina ad hunc usque diem imperii splendorem propagavit? Putabimus verò tam diu in potentissima ista domo altitudinem aquilæ consistere potuisse, si ex tuo consilio ruditatem potius, quàm scientiæ fulgorem patrio & avito instituto sequi ad imperium nata posteritas voluisset? Tacito imperatori, Romæ cum ille designaretur, acclamatum esse meminimus: Quis melius docto imperabit? Meminimus idem verbum in proximè defuncti Imperatoris Rudolphi, qui septem linguis locutus, in auguratione publicè auditum? Quin dum hæc loquimur, dum contra barbaram sententiam pugnamus, dum literas & artes imperatore dignissimas esse contendimus; videmur hoc ipso momento eandem vocem & applausum cum gratulatione concordique omnium procerum consensu, totiusque Germaniæ

exultantis lætitia in novi Cæsaris Matthiæ, felicissima renunciatione audire: Hæc literæ; quarum vocibus nihil aliud addam, quàm ut extremam orationis partem de felicissima novi imperatoris designatione, quam ratam veramque esse optamus, communi nostrum omnium voto & desiderio quàm lætissimè concludam. Faxit summus imperiorum omnium arbiter & moderator D E U S, ut hodiernus dies, quem nos sedecim novis Magistris creandis felicem faustumque habemus, longè felicissimus in exoptatissima summi Capitis electione existat, totumque orbem Romanum concordia, tranquillitate, pace, gaudio, serenitate, lætitia, plausu, perpetuoque omnium optimarum rerum successu complectatur.

F I N I S.







urk. 96


BRUNNEN

- 1 1599
- 2 1608 + Nr. 5, 6, 16, 19, 25
- 3 1614 + Nr. 15, 27, 28
- 4 1617 = diese Ausg.
- 5 1621 Erfurt



A CLXV

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

HERMANNI
RCHNERI,
D. HIST. ET
Orat. Acad. Marp.
ATIONUM
ANEGYRICARUM
VOLUMEN II.



MARPURGI,
Paulum Egenolphum.
M. DC. XVII.

